TABVLA 5
ET ACTA,

Celeberrimi Capituli Generalis Totius Ordinis Fratrum Minorum nuperrimè celebrati.

In Regali Conuentu S. Ioannis Regum Ciuitatis Toleti, in Vigilia Pentecostes, die octaua Iunij A. D. 1658.

Præsidente Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino, D. Camillo de Maximis, Patriarcha Ierosolymitano, Cameræ Apostolicæ Clerico, & in Regnis Hispaniarum, cum potestate Legati à Latere, Nuntio Apostolico.

In quo viginti septem supra ducenta suffragia, ex toto Terrarum Orbe ad electionem conuenerunt.

Sanctissimo Domino Nostro ALEXANDRO Septimo Summo Pontifice.



ROMÆ,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.
M. DC. LIX.

Superiorum auctoritate.

4

TABVLA CAPITVLI GENERALIS.



IN primis ſeptennio fæliciter abſoluto ſub Generalatu Reuerendiſs. Patris Fratris Petri Manero intra quinquennium officij ad Epiſcopatum Tarraconenſem euecti; & vno anno ſub Vicariatu Generali Reuerendiſsimi Patris Fratris Iuliani Perez in officio vita defuncti; & demum dilato per Breue Apoſtolicum ad alterum annum Generali Capitulo expleto; hoc eodem anno ſub Vicariatu Generali Reuerendiſs. Patris Fratris Ioannis de Robles, ferè omnibus ſuffragijs Religionis, in Miniſtrum Generalem Totius Ordinis cooptatus eſt. Reuerendiſsimus Pater Fr. Michael Angelus à Sambuca Prouinciæ Reformatæ Vallis Mazariæ Pater, Exſecretarius Generalis, & bis Diffinitor Generalis Ordinis.

Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ.

Reuerendiſs. Pater Fr. Ioannes de Robles Prouinciæ Caſtellæ Pater, & Exvicarius Generalis Ordinis.

Pater, & Diffinitor perpetuus Familiæ Vltramontanæ.

Reuerendiss. Pater Fr.Sebastianus à Caieta, Commissarius Generalis præteritus.

Procurator Generalis Ordinis in Curia Romana.

Adm.R.P.Fr.Theodorus à Vicentia Lector Theologiæ,& Custos Prouinciæ S.Antonij.

Commissarius Generalis Curiæ Romanæ.

Adm.R.P.Fr.Rocchus à Villarexo Prouinciæ Granaten. Exdiffinitor.

Procurator Generalis Reformatorum Familiæ Vltramontanæ.

Adm. R. P. Fr. Ioannes à Pinarolo, Prouinciæ S. Thomæ Pater.

Diffinitores Generales Vltramontanæ Familiæ.

1. Adm.R.P. Fr.Marcellinus Radaelli Prouinciæ Mediolanen. & Ordinis Pater.
2. Adm.R.P.Fr.Bonauentura à Clusa Prouinciæ Vallis Mazzariæ Prominister, & Pater.

Adm.

3. Adm.R.P.Fr.Michael Angelus à Neapoli Lector Iubilatus, Prouinciæ Terræ Laboris Pater, & Custos Terræ sanctæ.
4. Adm.R. P. Fr. Fælix à Setia Reformatæ Prouinciæ Romanæ Pater.
5. Adm.R. P. Fr. Franciscus Mancini Prouinciæ Tusciæ Prominister.
6. Adm. R. P. Fr. Franciscus Statfeldt Prouinciæ Austriæ Minister.

Diffinitores Generales Cismontanæ Familiæ.

1. Adm.R.P.Fr.Ioannes Munieza Prouinciæ Aragoniæ Custos, & Pater.
2. Adm. R.P. Fr. Ioannes à Villamar Prouinciæ Conceptionis Minister, & Lector Iubilatus.
3. Adm.R.P.Fr.Andreas Houbereau Doctor, & magni Conuentus Parisiensis exGuardianus.
4. Adm.R. P.Fr. Ludouicus Manis Minister Prouincialis S. Francisci Recollectorum in Gallia.
5. Adm.R.P.Fr.Franciscus Gend Custos Prouinciæ Germaniæ inferioris.
6. Adm.R.P.Fr.Gerardus Ioannis Minister Prouinciæ Saxoniæ S.Crucis.

Guardianus Terræ sanctæ.


Adm.R. P. Fr. Eusebius Velles Prouinciæ Mediolanensis, & Ordinis Pater.

Vicarius Conuentus Sanctiss. Saluatoris.

P. Fr. Ignatius Muargues Prouinciæ S. Dionysij Parisiensis Recollectorum.

Guardianus Constantinopolitanus.

Pater Fr. Sebastianus à Cammerata Prouinciæ Vallis Mazzariæ Reformatæ Prominister.



Sacræ Theologiæ Studia in ordine ad Iubilationem destinata, iuxta Constitutiones Apostolicas Clementis VIII. & S. D. N. Vrbani VIII. & Lectores generales.

1 *In Conuentu S. Mariæ de Aracœli Romæ Lectores.*

P. Fr. Paulus à Castronouo.
P. Fr. Petrus Paulus de Roma.
P. Fr. Alexius Romanus.

2 *In Conuentu S. Mariæ Nouæ Neapolis.*

P. Fr. Claudius à Como.
P. Fr. Agnellus à Neapoli.
P. Fr. Bonauentura à Neapoli.

3 *In Conuentu S. Francisci de monte Perusij.*

P. Fr. Thomas de Lacu.
P. Fr. Costantius à Stronconio.
P. Fr. Franciscus Maria à Perusio.

4 *In Conuentu omnium Sanctorum Florentiæ.*

P. Fr. Bernardinus à Barberino.

P.Fr.

P. Fr. Ioannes Baptista à Collina.
P. Fr. Blasius à Florentia.

5 *In Conuentu Sanctissimæ Annunciatæ Bononiæ.*

P. Fr. Ioannes Baptista à Fugnano.
P. Fr. Ioseph à Castro lauto.
P. Fr. Franciscus Maria à Castro S. Petri.

6 *In Conuentu S. Francisci Paduæ.*

P. Fr. Hieronymus à Vicentia.
P. Fr. Theodorus à Cento.
P. Fr. Hieronymus à Plebe Sacco.

7 *In Conuentu Sanctissimæ Annunciatæ Genuæ.*

P. Fr. Franciscus à Portu Mauritio.
P. Fr. Petrus Franciscus à Genua.
P. Fr. Angelus à Monelia.

8 *In Conuentu S. Mariæ Angelorum Mediolani.*

P. Fr. Antonius Cataneus à Lermenatè.
P. Fr. Hilarius Palacius à Castione.
P. Fr. Andreas Redaelli à Mediolano.

In

9 *In Conuentu S. Mariæ Angelorum Panormi.*

P. Fr. Santus à Panormo.
P. Fr. Auguſtinus à Politio.
P. Fr. Ioſeph à Drepano.

10 *In Conuentu S. Bernardini Aquilæ.*

P. Fr. Rufinus à Caſtellis.
P. Fr. Franciſcus ab Aquila.
P. Fr. Bernardinus de Monte Brandone.

11 *In Conuentu S. Franciſci Lucæ.*

P. Fr. Ioannes à Cutiliano.
P. Fr. Carolus à Cutiliano.
P. Fr. Laurentius à Guiuizzano.

12 *In Conuentu S. Franciſci Anconæ.*

P. Fr. Carolus à Petriolo.
P. Fr. Didacus à Molleano.
P. Fr. Petrus à Fabriano.

13 *In Conuentu S. Antonij Licij.*

P. Fr. Antonius à Rutiliano.
P. Fr. Franciſcus à Bario.
P. Fr. Petrus à Fabriano.

14 *In Conuentu S.Bernardini Cracouiæ.*

P. Fr. Benedictus Vadouita.
P. Fr. Andreas Souinouicz.
P. Fr. Dominicus Kochanousky.

Alia Studia Sacræ Theologiæ, & Lectores generales deputantur.

1 *In Conuentu Paradisi Viterbij.*

P. Fr. Daniel Romanus.
P. Fr. Albertus de Roma.

2 *In Conuentu S.Mariæ Nouæ Fani.*

P. Fr. Gabriel ab Aesio.
P. Fr. Bonauentura de Fano.

3 *In Conuentu S. Crucis Pisarum.*

P. Fr. Seraphinus à Bibiena.
P. Fr. Franciscus à Vellechia.

4 *In Conuentu S. Spiritus Ferrariæ.*

P. Fr. Honorius de Forliuio.
P. Fr. Hyppolithus Camillus ab Arimino.

In

5 *In Conuentu S.Francisci Mantuæ.*

P. Fr. Ioseph à Verona.
P. Fr. Bernardinus à Vienna.

6 *In Conuentu S.Didaci Neapolis.*

P. Fr. Iacobus à Caua.
P. Fr. Bernardinus à Fuscecchio.

7 *In Conuentu S.Mariæ de Iesu Montis Leonis.*

P. Fr. Bonauentura à Messana.
P. Fr. Thomas de Monteleone.

8 *In Conuentu S.Mariæ Iesu Messanæ.*

P.Fr. Stephanus à Ficarra.
P.Fr. Balthasar à Messana.

9 *In Conuentu S. Mariæ Iesu Moticæ.*

P.Fr. Didacus Salemi.
P.Fr. Ignatius à Motica.

10 *In Conuentu S.Mariæ Iesu Foggiæ.*

P.Fr. Hieronymus à S.Ioanne in Galdo.
P. Fr.

11 *In Conuentu S. Hieronymi Viennæ.*

P.Fr. Ludouicus Kriechenhoffer.
P.Fr. Hilarius Andreæ.

12 *In Conuentu S. Francisci Vilnæ.*

P. Fr. Michael Maſzkousky.
P.Fr. Franciſcus Chrapouicky.

13 *In Conuentu S. Ioſephi Brixiæ.*

P. Fr. Andreas de Cucaleo.
P.Fr. Paulus Franciſcus à Gabiano:

14 *In Conuentu S. Mariæ de Vrſoleo.*

P.Fr.
P.Fr.

15 *In Conuentu S. Franciſci Cuſentiæ.*

P.Fr. Coſmus Maria à Panormo.
P. Fr. Chryſoſtomus à Raguſio.

16 *In Conuentu S. Bernardini Alexandriæ.*

P.Fr. Paulus Baptiſta de Viadana.
P.Fr. Didacus à Setia.

In

17 *In Conuentu S.Thomæ Taurini.*

P.Fr. Hieronymus à Scledo.
P.Fr. Pellegrinus à Pratolongo.

18 *In Conuentu S.Mariæ de Assumptione Labaci.*

P.Fr. Paulus Budimir.
P.Fr. Daniel Lucanus.

---

19 *In Conuentu S.Andreæ Leopolis.*

P.Fr. Franciſcus Kalisky.
P.Fr. Franciſcus Rayſzeuic.

20 *In Conuentu S. Bernardini Poſnaniæ.*

P. Fr.
P. Fr.

21 *In Conuentu Tyrnauiæ.*

P. Fr.
P. Fr.

22 In Conuentu S.Mariæ Angelorum Neapolis, & alijs Conuentibus pro Seminarijs iuuenum, Lectores deputabuntur, ad libitum Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis.

Sequ-

Studia generalia in ordine ad Iubilationem, in quibus qui iubilare voluerit, saltem per tres annos continuos Sacram Theologiam legere debebit, deputantur.

CONVENTVS
- S.Mariæ de Aracœli Romæ.
- S.Francisci Montis Perusij.
- S.Francisci Anconæ.
- Omnium Sanctorum Florentiæ.
- S.Francisci Lucæ.
- Sanctiss.Annunciatæ Bononiæ.
- S.Francisci Paduæ.
- Sanctiss.Annunciatæ Genuæ.
- S.Mariæ Angelorum Mediolani.
- S.Mariæ Angelorum Panormi.
- S.Antonij Licij.
- S.Bernardini Aquilæ.
- S.Mariæ Nouæ Neapolis.
- S.Bernardini Cracouiæ.

Con-

Confirmatio electionis Reuerendissimi Patris Fratris Michaelis Angeli della Sambuca in Ministrum Generalem totius Ord. Minorum S. Francisci Regularis Obseruantiæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

CVm sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Obseruantia nuncupat. in Conuentu Sancti Ioannis Regum nuncupat. Toletan. vigilia Penthecostes anni M. DC. LVIII. celebrato, in Ministrum Generalem eiusdem Ordinis canonicè electus fueris, & electionem huiusmodi pro maiori illius validitate, & subsistentia Apostolicæ confirmationis robore communiri summopere desideres: Nos sperantes electionem huiusmodi de persona tua, vt præfertur factam, ob tuum religionis zelum, fidem, prudentiam, integritatem, & doctrinam eidem Ordini plurimum profuturam, teque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homi-

homine, quauis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Electionem de persona tua in Ministrum Generalem dicti Ordinis, vt pręfertur factam Apostolica auctoritate tenore pręsentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, omnesque, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, Si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus priuilegijs quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium pręmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innouatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores pro plenè, et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad pręmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque: Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die secunda Aprilis M. DC. LIX. Pontificatus nostri Anno Quarto.

FR.

FR. MICHAEL ANGELVS A SAMBVCA,

Totius Ordinis S. Francifci Fratrum Minorum Minifter Generalis.

Dilectis plurimum in Chrifto Seraphicæ noftræ Religionis Patribus, & Fratribus Superioribus, ac Subditis in Domino falutem fempiternam.



Nfinita, & verè admirabilis DEI prouidentia, cum paruitatem noftram in fummo apice Minifteriatus Generalis dignata fit collocare; de noftri muneris debito ita nos admonet, vt quantum fumus, & quantum poffumus Officio noftro incumbamus. Quapropter (Patres, ac Fratres dilectiffimi:) mentem noftram Francifcana finceritate vobis aperire conamur, quæ in alio non confiftit, quam in virtute prouehenda, in abufibus extirpandis, in inftituenda, & excolenda Regulæ noftræ primæua, & Apoftolica obferuantia, in hoc abfolutiffimè tendimus, hoc inflexibiliter prætendimus; iftud eft cogitationum noftrarum pondus, cordis noftri inuariabile defiderium, cum hoc Vobis dixerimus, nihil remanet amplius dicendum: Cum iam Deo fauente fecerimus Miniftrum Generalem egimus iuxta normam S. P. N. Francifci, quia vero in hunc

finem collimare nequimus, nisi in suo studio Religio progrediatur, quod primo vobis erit omnino fugiendum sciatis esse sæcularium fauorum influxus, quemadmodum etenim virtus, atque Religiositas nobis ex Iustitia videbitur meritum, ita extraneus fauor demeritum censebitur, pœna dignus, non præmio. Experientia ipsa docebit. an cor nostrum loquatur, vel lingua; viuat in Religione *Frater Minor, & nullo prætendat fieri maior, nisi in virtute, & obseruantia, & nostrum erit, nisi culpabiles ante Deum apparere velimus, de virtuoso cogitare, & Regulam obseruanti alios regendos tradere: vt gubernia sint in virtutis augmentum, non in fomentum ambitionis. Ad hunc effectum consequendũ, aliquas Constitutiones, seu potius Legum declarationes, in Discretorio factas proponimus. Malitia, namque hostis antiqui monet nos, vt Leges, vel inobseruatas restituamus, vel perperam interpretatas, vero sensui donemus: Lux etenim non præsens non iuuat, & vmbris cooperta in suomet splendore languescit. Progrediamur itaque in via vitæ, nos, hæc desideria fouendo; vos eisdem cooperando: mansuetudinem profitebimur, sed Legem innixam iustitiæ rigori, & quæ nobis ex DEI gratia naturalis est placiditas, merito acquiretur, culpa irritabitur cum Patrem simul, ac Iudicem vobiscũ agere debeamus. Hæc sunt Vestri Pastoris voces, hæc vota successoris S.P. Francisci. Satis diximus, ea cuncta infallibiliter exequuturi. Valete in Domino. Dat. Matriti die 5. Iulij 1658.*

CON-

CONSTITVTIONES
GENERALES

Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obseruantiæ,& Reformatorum Seraphici P. N. S. Francisci.

Æditæ in Generali Capitulo,celebrato Toleti,in Regali Conuentu S.Ioannis Regum,sub die octaua Iunij, Anno 1658.

Per vtrumque Discretorium etiam Reformatorum.

Præsidente Illustrissimo, ac Reuerendissimo Domino, D. Camillo de Maximis, Patriarcha Ierosolymitano,Cameræ Apostolicæ Clerico,& in Regnis Hispaniarum,cum potestate Legati à Latere, Nuntio Apostolico.

Sub Reuerendissimo Patre Fratre Michaele Angelo de Sambuca, Ministro Generali Totius Ordinis Fratrum Minorum in eodem Generali Capitulo nouiter electo.

Pro Sacro Ordine Prædicatorum.

1 T antiquus & laudabilis fraternæ charitatis, & obseruãtiæ nexus inter sacrum Ordinem Prædicatorũ, & Nostrum, in quo nati, & educati sumus, magis in dies firmetur, & arctetur: renouamus omnia, ac singula tam antiqua, quam recentia Statuta, quæ mutua vtrorumque necessitudinem charitatis, & pacis fœdera respiciunt, & nostra in eosdem Venerabiles Patres, & charissimos in Christo Fratres beneuolentiæ, & seruitutis officia. Si quis verò ex nostris (quod DEVS auertat) deprælhensus fuerit temerario ausu, vel in minimo læsisse vnionem, & fraternitatem, quam DEO inspirante ab infantia nostræ Religionis ebibimus, in eum tanquam in optatissimæ pacis turbatorem Superiores animaduertant.

Vetus cum Ord. Prædic. fœdus renouatur.

Et lædentes puniendi.

2 Et vt pientissimis Fratribus pro modulo nostro vicem rependamus, cum in Diuino Officio persoluendo Romanis ritibus, ex vi Regulæ simus adstricti, Capitulum generale determinat, assiduas ad Sedem Apostolicam fundere preces, quousque nobis liceat Sanctissimi Patriarchæ Nostri Dominici Natalem pari ritu celebrare, quo Seraphicum P. N. Franciscum celebramus; vtque, quoties in anni

Specialis sancti Dominici cultus statuitur.

anni decursu contingat D. Francisci fieri commemorationem liceat & Symmistæ Dominici memoriam annectere, ambosque simul, & indiuisè colere, quos eadem fides, & gratia verè fecit esse Germanos.

Et S. Catharinæ Senen.

3 Sed & B. Catharinam Senensem, illius, & nostræ Religionis venerabile decus, eo saltem ritu celebrare, quo charissimi, & Religiosissimi Patres Claram nostram, & suam dignati sunt suis fastis adscribere.

Pro vtraque Familia.

Theses cum Iconibus nõ imprimantur.

1 PRæcipit Capitulum generale, ne deinceps in Capitulis, aut Congregationibus Generalibus, aut Prouincialibus proponantur Theses propugnandæ cum iconibus ære incisis, aut laminis quomodolibet sumptuosis: sed omnes typis communibus, quantumuis magno Patrono dicatæ mandentur, qui secus fecerit, prohibetur easdem Theses defendere: priuatur Lectoratu si iam obtinuit: sin minus, inhabilitatur ad obtinendum. Minister verò, vel Prælatus, qui contrarium fieri permiserit, suspendatur ab Officio ad arbitrium Superioris.

Procuratores Prouinciarum à Generali tantũ deputentur.

2 Inhibetur, ne Prouinciarum Procuratores ad Romanam Curiam, nec ad Curiam Matritensem, nec aliorum Principum deinceps mittantur,

nisi

nisi de licentia in scriptis obtenta Reuerendissimi Ministri, aut Commissarij Generalis, & aliter missi, puniantur tanquam Apostatæ: Non audiantur, sed statim ad suas Prouincias mittantur; nec propterea tollitur à Ministris Prouinciarũ vna cũ suis Diffinitorijs facultas mittendi, ob negotia vrgẽtia.

3 Fratres Forenses, qui ad Romanam Curiam accesserint, cuiuscunque sint Prouinciæ, vel Nationis, aut Familiæ, siue etiam Obseruantes sint siue Reformati, nõ poterunt deinceps exire è Domo sub pœna Apostasiæ, nisi obtenta licentia Guardiani, & etiam Procuratoris Generalis, aut Commissarij Curiæ respectiuè, quod quidem obseruari debet, toto tempore, quo Romę permanere contigerit. Non tamen impediri poterunt nisi ex legitima causa.

Fratres forẽses non exeãt sine licentia Guardiani, & etiam Procuratoris Generalis.

4 Ne per absentiam Procuratoris Ordinis à Romana Curia Vniuersus Ordo destituatur proprio, & legitimo Procuratore, statuitur, vt quoties Capitulum Generale extra Vrbem Romanã celebrari contigerit, Procurator Ordinis ad Capitulum profecturus, eo ipso, quod ab Vrbe discedat, censeatur functus officio suo, & tanquam immediatus Exprocurator, debet ad Capitulum accedere, vbi præcedentiam habebit, & votum, etiam in Diffinitorio Generali, non secus, ac si actualis Procurator existat. Interim qui institutus fuerit in officio, & exercitio Procuratoris Ordinis, non iam

Absente Procuratore Ordinis à Curia eius vices gerens Procurator declaratur.

iam vice Procurator erit: ſed verè, ac propriè Totius Ordinis Procurator, qui à Curia Romana nō poterit diſcedere, duraturus quidem in officio, donec Superiores Ordinis aliter prouideant.

Perantiquiorem Patrem dignior intelligitur.

5 Quoties in Conſtitutionibus Noſtris, Pater Antiquior vocatur ad ſubrogandum, præſidendum, aut ſimile aliquod munus obeundum illum eſſe antiquiorem Patrem intelligimus, & declaramus, qui tunc temporis, ſeruata Statutorum ſerie primum locum tenet, & dignior inuenitur.

Subſidia pro expenſis a Prouincijs Procurator. Curiæ omninò præſtētur.

6 Subſidia deſignata per Statuta Ordinis, ſiue ex conſuetudine diſtribuenda Procuratori, & Commiſſario Romanę Curię, pro expenſis litterarum, & negotiorum expeditione, ſedulo, & opportuno tempore à Prouincijs ſubminiſtrentur. Si quę verò ad pręſens vſque non ſubminiſtrauerint, Reuerendiſſimus Pater Miniſter, & Commiſſarius Generalis conſtringat Miniſtros Prouinciales, vt his debitis ſine vlla mora ſatisfaciant.

Electio Prominiſtri intra diem nō facta ad Superiorē deuoluitur.

7 In electione Prominiſtri ſeu Procuſtodis ad Generale Capitulum, ſiue ad Congregationem Generalem mittendi; ſi contigerit ſuffragia in Prouincijs, etiam Reformatis intra vnius diei ſpatium non conformari, ita vt ex diſcordia eligentium, electio non ſequatur; Electio deuoluatur ad Superiorem Generalem, qui nonniſi eiuſdem Prouinrię Patrem emeritum nominabit.

Diffi-

8 Diffinitorium Generale declarat, Custodes omnes extra Capitulum electos, nisi per integrum biennium functi fuerint munere Custodiatus, aut in Generali Capitulo, vel Congregatione suffragium tulerint, non debere gaudere Priuilegijs, & honoribus cæteris Custodibus concessis; etiamsi in electionibus Vicarij, aut Vice Commissarij Generalis, fuerint suffragati in sua familia. Custodes electi extra Capitulum non gaudēt priuilegijs ante bienniū.

9 Fuit per Diffinitorium Generale declaratum, quod in futurum Procuratores, & Commissarij Curiæ Romanæ non gaudeant præeminentijs, & præcedentijs Procuratorum huiusmodi, nisi per duos annos integros eiusmodi officia exercuerint: qui verò non compleuerint, poterint institui denuo in eadem officia absque vacantia, sicuti cauetur de Vicarijs Prouincialibus. Similiter Procurat. & Commissarij Curiæ.

10 In casu subrogationis Diffinitoris Prouincialis, si contingat in Prouincijs esse Diffinitores Generales actuales illius Prouinciæ, fiat deinceps substitutio in personam Patris dignioris, post ipsos Diffinitores Generales; & hoc pro tempore quo Diffinitores Generales durabunt in officio, quo tamen absoluto, subrogatio talis intelligitur facta in personam dicti Diffinitoris generalis præteriti; & ille alius Pater antea substitutus cessabit ab officio Diffinitoriatus Prouinciæ. Idem intelligendum erit de Procuratoribus, Ordinis, & Commissarijs Curiæ Romanæ. Pro Diffinitore Prouinciali subrogādus diffinitor generalis, etiam actualis, & quomodo.

 De-

Subsidia pro capitulo generali etiam Diffinitoribus generalibus præstãda.

11 Declaratum fuit, quod iuxta Statuta generalia, non tantum Ministris Prouincialibus, & Custodibus, sed etiam Diffinitoribus Generalibus subsidia necessaria pro peregrinatione ad Capitulum generale facienda, proprię Prouinciæ cura, & sollicitudine Ministri præstare teneantur.

Minister elapso etiam semestri post trienniũ Prouinciam gubernet.

12 Ministri Pouinciales, etiam Reformatorum expleto triennio, & semestri Ministeriatus, si nullus sit missus Commissarius ex aliquo accidenti, teneant sigilla, & gubernent Prouincias tanquam Commissarij Prouinciales, cum suo Diffinitorio, sed non habebunt votum in Capitulo immediatè sequenti, nisi ipsis omnibus concedatur à Superiori Generali, cum consensu Procuratoris Generalis, & Diffinitorum Generalium si præsentes fuerint, sicut nec Guardiani, qui compleuerunt triennium, & semestre Guardianatus; gubernent tamen tanquam Præsidentes.

Subrogare est totius diffinitorij.

13 Subrogationes tam in Obseruantia, quam apud Reformatos fiant à toto Diffinitorio, & non à solo Ministro Prouinciali.

Qui in aliena Prouincia Ministri verè Patres in propria.

14 Qui fuerunt Ministri Prouinciales in aliena Prouincia, reuersi ad proprias Prouincias, in omnibus, & per omnia sint Patres illarum, sicuti & alij Patres; vltimum tamen locum inter Exprouinciales teneant; & hoc tùm pro Obseruantibus, tùm pro Reformatis.

15 Declaratũ fuit in pleno Diffinitorio, quod

in,

in casu cuiuscunque decisionis, minor pars Diffinitorij debet subscribere sententiam maioris partis, etiam inter Reformatos.

Semper totũ Definitoriũ subscribat.

16 Procuratores Prouinciarum in quacunq; Curia,& pro quauis causa non instituantur: attamen si aliquando Superiori Generali expedire videbitur, per suas Patentes institui; non sint nisi tantum triennales: huiusmodi autem Procuratores non instituantur, etiam per Superiores Generales, nisi ex maxima necessitate.

Procuratores prouinciarum à generali qua ratione instituendi.

17 Capitulum Generale mandat, quod Commissarij Generales Nationales quotannis rationem reddant Reuerendissimo Ministro Generali, de Capitulis in suis Prouincijs celebratis, & de rebus præcipuis intra, & extra Capitula determinatis: & aliter facientes suspendantur ab officio ad arbitrium Superioris Generalis. Ipsiq; Commissarij Generales huiusmodi in Capitulis, & Congregationibus generalibus subiaceant syndicationi, sicuti & alij Superiores Generales.

Commissarij generales nationum moneant Generalē de actis, & syndicatui subsint.

18 Ad tollendas confusiones, difficultates, & iurgia quæ oriri solent inter familias, & Nationes super intelligentia Statutorum vltimi Capituli generalis Romani; Capitulum Generale decreuit,& mandat, quod huiusmodi Statuta per Reuerendissimos Ministrum, & Commissarium Generales reuideantur, & reformentur ad normam Constitutionum Apostolicarum, & Ordinis,& vnicui-

Statuta vltima reuideantur, & reformentur.

que Familiæ, & Nationi adaptentur.

Renouatur Statutum de qualitatibus promouendorum.

19 Renouatur Statutum quo cauetur, quod nullus etiam inter Reformatos instituatur Minister Prouincialis, nec Guardianus, nec Diffinitor aut Custos, qui non sequatur vitam communem, qui Chorum non frequentet, Orationi non assistat, Refectorium Communitatis non sequatur, ac Regulæ nostræ Zelator, & Constitutionum obseruator non existat; & electio aliter facta, sit ipso facto nulla.

Pro Familia Vltramontana.

Prouincia Romana inter magnas annumeranda.

1 Confirmatur Decretum factum in Capitulo Generali præterito, quod Prouincia Romana Obseruantium annumeranda sit inter magnas Prouincias Familiæ Vltramontanæ, ob Conuentum Araçœlitanum, cæterasque rationes in eodem Decreto expressas.

In Prouincia Brixiæ seruetur alternatiua etiam in subrogando.

2 In Prouincia Brixiensi Reformata, seruetur alternatiua inter nationes Brixiensem, & Bergomensem iuxta Constitutiones Apostolicas, & Ordinis, tam quo ad electiones, quam quo ad subrogationes, quæ fieri debent ex eadem natione, in qua defecit subrogandus, dummodo nil in contrarium obstet.

Lectores in Professorijs etiam Regulam legant.

3 Iuuenes professi primo anno ab emissa professione studeant intelligentiæ Regulæ, quam pro-

professi sunt, & verbatim didicerunt; ac propterea illo anno, Lector qui instruendis Clericis recenter professis præficitur, teneatur legere publicè, etiam si alij antiquiores professi adesse voluerint, Regulam, iuxta declarationes Nicolai III. & Clementis V. nec possint aliter ad studia Logicæ, & Philosophiæ promoueri, nisi prius in Regulæ intelligentia profecerint.

4 Reuerendissimus Pater Minister Generalis prouideat, vt in Prouincijs etiam Reformatis pro Iuuenum bona educatione instituantur certo anni tempore exercitia spiritualia decem, vel octo dierum, ad quæ peragenda Clerici, & Iuuenes sint adstricti: alij autem Patres hortentur regulis, & formis tradendis à Ministris Prouincialibus, cum Diffinitorio, vt cum pace Prouinciarum, & Conuentuum ad hoc designatorum commodè fiant.

Exercitia spiritualia certo anni tempore peragẽda.

5 Capitulum generale, perpensis periculis, & magnis laboribus in longo itinere à Patribus Vocalibus perpessis, maturo consilio statuit, quatenus Custodes, & Prouinistri, etiã Reformatorum Vltramontanæ Familiæ, qui venerunt ad præsens Capitulum generale, & postmodum venient ad Capitula Generalia in Hispanijs, inter Diffinitores actuales vltimum locum, & præcedentiam habeant, nisi alius sibi locus dignior competeret. Inter Reformatos autem Vicarius Conuentus, ac Lectores Sacræ Theologiæ actuales præcedant, iuxta

Custodes, & Prominiſtri Capituli generalis Hispani qualiter præcedant.

iuxta Breue Vrbani Octaui.

Prominiſtrorum cõditiones.

6 Prominiſtri autem huiuſmodi præeminentia, & præcedentia gaudebunt ſi Diffinitoriatu, vel Lectura S. Theologiæ per ſexennnium, vel Guardianatu principalioris Conuentus antea decorati fuerint, vel adminus Guardiani per tres vices in alijs Conuentibus, aut Prædicatores eximij extiterint.

Conuentus Pinaroli ad Prouinciam S. Thomæ ſpectat.

7 Inhærendo Bullis Apoſtolicis, & Ordinis monimentis fuit declaratum, quod Cõuentus noſter Oppidi Pinaroli, & electio ipſius Guardiani ſpectat ad Prouinciam S. Thomæ Reformatorum. Ideo mandatur, quod Prouincia Lugdunenſis nullum eligat Guardianum ſiue diſcretum in prædicto Conuentu Pinaroli cum iure vouendi in Capitulo. Si quid autem in contrarium fieri contigerit, ipſo facto irritum ſit, & inane. Guardianus autem præſens electus à Prouincia Lugdunenſi, nullum ſuffragium habeat in Capitulo.

Miniſtrorum à capitulo generali abſentium pœnæ.

8 Ad eliminandas fraudes, & friuolas excuſationes Miniſtrorum Prouincialium, non accedentium ad Comitia generalia, iuxta diſpoſitionem Regulæ noſtræ, & Ordinis Conſtitutionum, ſtatuitur, quod Miniſtri Prouinciales, etiam Reformati, non accedentes ad Comitia Generalia quacunque occaſione, vel cauſa, poſt expletum Miniſteriatum vltimum locum inter Exprouinciales præteritos, & futuros in perpetuum habeãt.

Qui

Qui verò absq; legitima causa neglexerint ad Capitulũ generale accedere, vltra hoc, pœnis in Statutis Ordinis mulctentur.

Excustodes, & Exdefinitores subrogãdi, & quando.

9 In Prouincijs Reformatis Vltramontanę Familiæ, ex defectu PP. Ordinis, & Prouincię, in vacantia Diffinitoriatus Prouincialis, subrogari debent Excustodes, & Exdiffinitores, & in defectu istorum Guardiani Principaliorum Conuentuum.

10 Quo verò ad alias subrogationes in prędictis Prouincijs Reformatis seruentur Statuta generalia Reformatorum, & Constitutiones Ordinis.

Diffinitor potest immediatè eligi in Custodem.

11 Statuitur, quod in Prouincijs etiam Reformatis Diffinitor in eodem Capitulo, in quo explet diffinitoriatum, eligi poterit in Custodem immediatè absq; vlla vacantia, sicut etiam inter Reformatos ipsos, fuit semper vsu receptum.

Guardiani, vt dicitur de respectu non eligantur.

12 Prohibet Capitulum Generale, quod in Capitulis & Congregationibus Reformatorum, vltra electionem Guardianorũ pro quolibet Conuentu, nulla fiat electio aliorum, vt dicitur (de respectu) qui in casu vacantiæ succedant, absque alia electione, & si aliqua facta sit, vel in futurum fiet inualida, & nulla censeatur ipso facto.

Discreti Cõuentus quinam sint.

13 Inter Reformatos, discreti Conuentus censendi sunt, digniores officio respectiuè, & ipsis deficientibus Discreti erunt Antiquiores in Religione.

Pri-

Prefes si sit Diffinitor nō renunciet.

14 Primus Pater Prouinciæ, etiam inter Reformatos, si sit Diffinitor, & ei ob mortem, vel renunciationem Ministri Prouincialis, vel quacunque ex alia causa sigilla Prouinciæ succedant, non poterit renunciare Diffinitoriatum ad effectum conuocandi Electores, sed bene poterit renunciare post electionem Vicarij Prouincialis.

Absente Superiore locali, qui præcedit gubernet.

15 In absentia Guardiani, & Vicarij in Conuentibus etiam Reformatorum, si non adsint in Refectorio Patres Ordinis, vel Prouinciæ, vel alius à Guardiano, vel Vicario delegatus ad mensam regendam, ipsam regere debet, qui alios præcedit.

Præcedentia à tempore habitus pensanda.

16 Præcedentia antianitatis inter Reformatos attendi debet à susceptione habitus, non à professione, dummodo habitus susceptus fuerit in debita ætate illum suscipiendi.

Guardianus de vno ad alium Conuētum qualiter queat transferri.

17 Non liceat Ministro Prouinciali, & Diffinitorio etiam Reformatorū infra annum, & extra Capitulum, & Congregationem mutare Guardianum, de vno Conuentu ad alium, absq; renunciatione, & noua electione, nisi de consensu amborum Guardianorum, & Diffinitorij. In Capitulo autem, & Congregatione possunt Guardiani à Diffinitorio mutari, de vno Conuentu ad alium, ante publicationem electionis.

Renunciationes extra Capitulum à Definitorio acceptandæ.

18 Declaratum fuit in pleno Diffinitorio generali, quod acceptare renunciationem Guardiana-

natus extra Capitulum, & Congregationem, etiã inter Reformatos ſpectat ad Diffinitorium Prouinciæ, & non ad ſolum Miniſtrum Prouincialem.

19 Pro Familia Vltramontana pluries determinatum fuit in Comitijs Generalibus, quod omnia ipſius diuerſa Statuta colligantur, (& ablatis reuocatis per noua Decreta Apoſtolica:) fiat ex ipſis liber vnus Statutorum, per quæ permanenter, & inuiolabiliter prædicta Familia deinceps gubernetur. Ideò Capitulum Generale præcipit, quod huiuſmodi recollectio quamprimum fiat per Patres à Reuerendiſſimo Patre Miniſtro Generali deſignandos, & typis mandetur.

Statutorum omnium liber vnus cõpiletur.

Pro Terra Sancta.

1 PRohibet Capitulum Generale, ne Commiſſarij Terræ Sanctæ inſtituti, & nominati præcipuè in partibus Germaniæ, & Italiæ, & Inſularum adiacentium inſtituant, nominent, aut ſubſtituant Vicecommiſſarium aliquem, ſeu aliquos in ſuis reſtrictibus, ſed per ſe ipſos & ſocios ſuos negotia Terræ Sanctæ tractent; & ſi qui ſunt nominati pro infectis, & nullis habeantur, ipſo facto; Tempore verò quæſtuationis poterunt vnum vel plures Fratres ex Prouincijs ſui reſtrictus, cum beneplacito, & approbatione proprij Miniſtri

Commiſſarij terræ Sanctæ alios nõ ſubſtituant.

Prouincialis assumere, & ipsis quæstuationem cõmittere, qua peracta, infra terminum aliquot mensium, & reddita ratione de eleemosynis perceptis eidem Commissario, ad suos Conuentus redeant.

Sed hoc est solius Generalis.

2 Si verò in aliqua Natione, seu residentia pro negotijs expediendis aliquem Procuratorem Terræ Sanctæ præter Commissarium instituere, & nominare necesse sit, non nisi à Ministro Generali per suas litteras Patentes nominetur, & instituatur, & aliter institutus pro infecto habeatur. Commissarij Terræ Sanctæ contrafacientes ab officijs priuentur.

Non exeant domo sine Guardiani benedictione

3 Commissarij Terræ Sanctæ, eorumque Socij, & Fratres omnes ad seruitium Terræ sanctæ, applicati, recognoscant, & venerentur Guardianos, & Superiores locales Conuentuum, in quibus morantur. Et ad egrediendum benedictionem ab ipsis, secundum morem Religionis postulent. Guardiani non denegent, imò libenter impertiantur, & huiusmodi Fratres omnibus charitatis, & beneuolentiæ officijs prosequantur, nec ipsos vllatenus impediant.

Pro

Pro Familia Cismontana.

1 DIffinitorium Generale declarat, renunciationes Guardianorum quæ de Iure, & consuetudine in Capitulis, & Congregationibus intermedijs fiunt, non posse admitti à solo Præside Capituli, sed à maiori parte Diffinitorij, nisi Præses sit Reuerendissimus Superior Generalis personaliter assistens. Renunciationes in Capitulis à quibus admittendæ.

2 Conuentus Monialium S.Claræ discalceatarum Villæ Chinchon, Superiori Generali immediatè subiectus, habebit Vicarium, seu Confessarium instituendum à Ministro Generali, seu Commissario Generali ex qualibet Hispaniarum Prouincia; & in omnibus Capitulis propriæ Prouinciæ suffragium habebit ad instar Guardiani, si Diffinitoriatus munere, vel Guardianatus alicuius principalis Conuentus, antea fuerit decoratus. Confessarij S. Claræ de Chinchon priiuilegia.

Pro Gallia.

1 PRouincia S. Bernardini in Gallia manuteneatur in possessione suæ præcedentiæ respectu Prouinciæ S. Dionysij; & ita determinatum fuit in Diffinitorio Generali auditis partibus. Prouincia S. Bernardini præcedat eam S. Dionisij.

2 Confessarij Monialium S.Claræ Prouinciæ S.Francisci Recollectorum in Gallia, & aliorum Confessarij Monialium non durent vltra triennium.

E 2 Mo-

Monasteriorum Ordinis in Gallia non possunt vltra triennium continuari, nec assumi in Visitatores eorundem Monasteriorum, nec Visitatores in Confessarios immediatè.

Designentur conuentus pro reformatione.

3 Commissarij Visiatores, & Ministri omnium Prouinciarum Obseruantium Galliæ, assignent quam citius in suis Prouincijs tres saltem Cōuentus pro reformatione iuxta Generalia Statuta, in quibus deinceps non instituantur Guardiani, nec alij officiales, quam illi, qui laudabiliter per biennium integrum in reformatione, reformatè vixerint, & hoc sub pœna nullitatis aliter faciendo.

In Prouincia Turoniæ quales Guardiani instituendi.

4 Pro Prouincia Turoniæ Pictauiensis decretum est, quod in Conuentibus Reformatis eiusdem Prouinciæ, non debent eligi Guardiani, nisi illi, qui tunc temporis morantur in Conuentibus Reformatis, & per biennium saltem proximè præcedens, in eisdem laudabiliter vixerint, nec à Conuentibus Reformatorum amoueri valeāt, nisi casu quo fuerint apud Obseruantes instituti Guardiani, aut Nouitiorum Magistri. Diffinitorium eiusdem Prouinciæ, poterit liberè eligere Guardianos pro Conuentibus Reformatis, etiam non exspectata postulatione Reformatorum, sed sufficit quod eligantur in Guardianos, non nisi Reformati, vt supra dictum est.

5. Minister Prouincialis eiusdem Prouinciæ,

si non.

si non poterit per se ipsum visitare Conuentus Reformatorum, non mittet Visitatorem aliquem, nisi ex ipsismet Reformatis, qui suo nomine, & authoritate visitet.

Et soli Reformati ad Visitationē delegandi.

6 Nec in Conuentibus Reformatis huiusmodi, collocari debeant, nisi Reformati; & illi qui in victu, ac vestitu, cæterisque omnibus secundum institutum Reformatorum viuere velint, & possint, & non aliter.

Et ipsi tātum collocandi.

Pro Indijs Occidentalibus.

1 COnfirmatur alternatiua in Prouincia Nominis IESV de Guatimala, inter Patres Criollos ex vna parte, & Patres Cachupinos, & Filios Prouinciæ ex altera, quemadmodum in Capitulo Toletano Anno 1645. celebrato, instituta est, sicque seruari debet sub pœna nullitatis aliter factorum.

Alternatiua in Prouincia nominis Iesu confirmatur.

2 Sub eadem pœna nullitatis, confirmatur eadem alternatiua in Prouincia de Quito, quemadmodum in eiusdem Prouinciæ constitutionibus, & vtriusque partis concordato statuta, & admissa fuit.

Et in Prouincia de Quito.

3 Statutum Victoriense, quod cauet, ne Exprouinciales aliarum Prouinciarū ditionis Regis Catholici, in proprias Prouincias reuersi, gaudeant eisdem honoribus, & iure subrogandi, quibus

Exprouinciales ad propria reuersi privilegijs gaudeant.

bus gauderent,vbi extiterunt Miniſtri; declaratur, quod comprǽhendat eos dumtaxat, qui ſponte in Prouincias ſuæ Filiationis reuertuntur, non verò eos, qui eiuſdem Regis Catholici, aut Superiorũ iuſſu ob publicum Ordinis honorem,vel commodum, coguntur in Prouincijs ſuæ Filiationis domicilium habere perpetuum. Hi enim, ne pro Obedientiæ merito ſupplicium reportare videantur, gaudebunt in Prouincijs ſuæ Filiationis eiſdẽ omninò honoribus, ac Iuribus, quibus gauderent, vbi Miniſtri extiterunt,hoc tantum excepto,quod inter Patres Prouinciæ, qui tunc temporis ſunt, aut impoſterum erunt, infimum locum tenebunt, in præcedentia, & ſubrogatione.

Cuſtodes præſentes Capitulo generali ſint Patres prouinciæ.

4 Cuſtodes omnes, qui ab Indijs ad Generale Capitulum acceſſerint,gaudeant in ſuis Prouincijs titulo, & præcedentia, cæteriſque omnibus honoribus, & exemptionibus iure, vel conſuetudine Patribus Prouinciȩ conceſſis,cum iure etiam ſubrogandi in Diffinitorio, non quidem pro Patribus digniori, & moderniori (quod omnino prohibetur) ſed pro Diffinitoribus: Ita tamen vt prius ſubrogentur iſti, quam Exdiffinitores, etiam habitu, vel electione antiquiores: atq; hæc eadem per omnia, & ſingula conceduntur Indorũ Prominiſtris, ſi tamen conſtiterit eos in ſuis Prouincijs Diffinitores, aut Cuſtodes fuiſſe,aut Lectores, Iubilatos, aut ſaltem alicuius Conuentus ex duo-

Et etiã Prominiſtri.

duobus præcipuis Prouinciæ, iuxta seriem Tabulæ Capitularis extitisse Guardianos. Et quia Patres Indiani, qui ad præsens Capitulum conuenerunt, siue Custodes, siue Prominiſtri, tam multa à Fidei hostibus perpessi sunt in via, vt non, sine magno animi dolore possint audiri. Capitulum Generale declarat, eos omnes, & eorum quemlibet posse, ac debere præfatis omnibus titulis, præcedentijs, ac Iuribus gaudere, ac si in proprijs Prouincijs Diffinitoriatum, aut Iubilationem fuissent adepti: quandoquidem iudicio Reuerendissimi cæterorumque Patrum, tot præssuræ, labores, ac vitæ discrimina non debent ad præmia minoris existimari, quam cæteri gradus memorati.

Pro Indijs Orientalibus.

1 Statutum est in pleno Diffinitorio, ad lites illarum Prouinciarum eliminandas, quod finito triennio Commissarij, vnaquaque dictarum illarum Prouinciarum, Minister videlicet cum suo Diffinitorio, vsque ad futuri Commissarij aduentum, à Reuerendissimo Superiore Generali missi, se ipsam gubernet independenter ab alia. Prouinciæ gubernent seipsas absente Cōmissario.

2 Si ex aliquo accidenti opportuno tempore non mitteretur Commissarius, ad huiusmodi Prouincias visitandas, vt moris est, & tempus Visitatio- Quem etiam eligere quādoque possunt.

tionis Prouinciæ ſtatutum à Conſtitutionibus generalibus; cum celebratione Capituli immineret, vnaquaque Prouincia ex ſe ipſa, cum conſenſu Patrum eligere ſibi poterit Commiſſarium Viſitatorem, qui Prouinciam viſitet, cum omnimoda facultate, quam Viſitatores noſtri Ordinis de iure, & conſuetudine exercere ſolent; Qui quidem Cōmiſſarius Viſitator celebrato Capitulo Prouinciali nullam authoritatem habebit, ſed Miniſter Prouincialis electus cum ſuo Diffinitorio independēter Prouinciam gubernet. Si tamen Commiſſarius fuerit expeditus, vel in itinere detentus accidentaliter, expectari debet per duos menſes, & nihil in Prouincia innouari. Commiſſarijs ad huiuſmodi Prouincias in Indijs Orientalibus miſſis, poſſeſſio Commiſſionis non conferatur, niſi prius ſui officij Patentes Originales exhibuerint, vel Miniſtro Prouinciali, vel ſaltem Guardiano primi Conuentus, vbi appulerint.

Eiuſq; facultas taxatur.

3 Diffinitorium Generale, Statuto Ordinis inhærendo prohibet in illis Prouincijs, Religioſum aliquem incorporari non poſſe, niſi ad hoc præcedat vtriuſque Prouincialis conſenſus.

Incorporatio qualiter facienda.

4 Præcipitur Prouincijs Portugalliæ, vt ſemper iuxta Statuta Ordinis opportuno tempore indicent Reuerendiſſimo Patri Miniſtro Generali, quatenus de Commiſſario Indiæ Orientalis ex illis partibus prouidere dignetur, vt ſi fieri poſſit, nouus

Prouinciæ Portugalliæ opportunè petant Commiſſariū pro India.

uus Commiſsarius incipiat gubernare, quando antiquus ſuum triennium expleuerit.

Pro Anglia.

1 Commiſsum eſt Miniſtro Prouinciali Angliæ, vt Fratres Hibernos abſque legitima cauſa, & litteris Obedientialibus in prædicta Prouincia commorantes compellat exire, authoritate Diffinitorij Generalis. Miniſter abigat Hibernos ibi indebitè manentes.

Pro Belgio.

1 Miniſtri Prouinciales, & Cuſtodes Prouinciarum Saxoniæ, Datiæ, & Scotiæ inſtituti, & nominati à Miniſtro Generali, iuxta diſpoſitionem Apoſtolicarum, & Ordinis Conſtitutionum, ac Religionis conſuetudinem, erunt tantummodo Titulares, & non niſi ad ſuffragandum in Comitijs Generalibus; ita vt peractis electionibus ceſſabit officium, & titulus. Miniſtri quidam, & Cuſtodes ſunt ſolum titulares.

2 Huiuſmodi autem Miniſtri, & Cuſtodes Titulares, non poterunt eligi in Diffinitores Generales, adſtantibus PP. Vocalibus Prouinciarum Germano-Belgicarum, niſi ijdem Titulares in dictis Prouincijs Germano-Belgicis officio Prouincialis, vel Cuſtodis Cuſtodum functi fuerint. Quādo poſſint ij Diffinitores generales eligi.

Possunt cum Generalis obediẽtia in alienis Prouincijs morari.

1 PAtres Hiberni, qui non ex leuitate animi, sed hæreticorum potius Tirannide in odium Catholicæ Fidei exulare coguntur, à Ministris Prouincialibus nostrarum Prouinciarum, benignè, & charitatiuè recipiantur, & de Conuentibus in quibus quietè viuere, & commodè morari valeant prouideantur, si cum literis Obedientialibus Superiorum Generalium ad Prouincias diuerti contigerit; sin minus, detineantur in Prouincia, & in ipsa expectent dispositionem Superioris Generalis, & aliter facientes, tanquam Apostatæ habeantur, & recludantur. Qui verò literas Obedientiales, & collocationem obtinuerint à Reuerendissimo Superiore Generali, in aliqua nostrarum Prouinciarum, ex ipsa Prouincia exire nõ valeant, sine noua licentia in scriptis Reuerendissimi Generalis, & aliter facientes, tanquam Apostatæ puniantur.

Vbique in obitu cõsuetis gaudeant suffragiis.

2 Religiosi verò huiusmodi, si contigerit in extraneis Prouincijs in quibus morantur, ex hac vita migrare, habeantur tanquam filij illius Prouinciæ, in qua obire contigerit, quoad Missarum, cæterorumque suffragiorum participationem, ita vt totidem pro quouis Religioso defuncto celebrentur, quot de facto pro Filio Prouinciæ celebrantur.

Diffi-

3 Diffinitorium Generale negotijs, & indigentijs PP. Hybernorum prouidere desiderans statuit, quod Commissarius Curiæ Matritensis solerter, & cum diligentia ipsorum negotiorum expeditiones tractet, tam in Curia Regis, quam apud Superiores Generales, nec vllus Procurator Nationis, pro huiusmodi Residentia pro modò instituatur, & hoc pro bono gubernio, & pace illius Nationis, & si præsens est, aboleatur. Cōmissarius Curiæ Matriti eorum peragat negocia.

4 Si autem pro tempore videbitur Ministro Generali expedire, vt pro aliqua vrgenti causa huiusmodi Natio Procuratorem habeat particularem in Curia Matritensi, non nisi ab ipsomet Ministro Generali nominabitur, & per eius literas Patentes, instituatur exemplaris Religiosus, & indifferens, duraturus non nisi ad triennium. Possit tamen Generalis Procuratorem designare.



IVDICES.

Ad expulsionem incorrigibilium iuxta Apostolicas Constitutiones designantur.

Pro Familia Vltramontana.

1 Adm. R. P. Fr. Marcellinus Radaelli Diffinitor Generalis.
2 Adm. R. P. Fr. Bonauentura à Clusa Diffinitor Generalis.
3 Adm. R. P. Fr. Franciscus Statfeldt Diffinitor Generalis.
4 Adm. R. P. Fr. Lucius à S. Iusto Ordinis Pater.
5 Adm. R. P. Fr. Ascanius ab Assisio Ord. Pater.
6 R. P. Minister Prouinciæ Romanæ pro tempore.

Pro Familia Cismontana.

1 Adm. R. P. Fr. Ioannes à Munieza Diffinitor Generalis.
2 Adm. R. P. Fr. Ioannes à Villamar.. Diffinitor Generalis.
3 Adm. R. P. Fr. Andreas Houbercau Diffinitor Generalis.

Adm.

4 Adm. R. P. Fr. Ludouicus Manis Diffinitor Generalis.

5 Adm. R. P. Fr. Franciſcus Gendt, Diffinitor Generalis.

6 R. P. Fr. Miniſter Prouinciæ Caſtellæ pro tempore.

Conuentus pro celebratione futuræ Generalis Congregationis intermediæ, Reuerendiſſimi P. Miniſtri Generalis diſpoſitioni relinquitur deſignandus.

Numerus Fratrum Defunctorum ab vltimo Capitulo Generali.

IN hoc Capitulo Generali, ex centum quadraginta, & vna Prouincijs Ordinis, ſolum centũ & ſeptem habita fuerunt teſtimonia, in quibus conſtat: ab vltimo Capitulo Generali obijſſe ferè ſex millia Fratrum, ex quibus plures pro Chriſti fide propaganda mortem ſubierunt, & quorum animæ requieſcunt in pace.

Sequuntur Suffragia.

PRo Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII. & pro eius incolumitate diuturna, à quolibet Sacerdote Ordinis tres Miſſæ celebrentur.

Pro

Pro Catholico Rege, Philippo IV. Regina, Principe, & Regia prole, à quolibet Sacerdote duæ missæ dicantur.

Pro Cæsarea Maiestate, & Serenissimo Rege Hungariæ, & Augusta prole duæ Missæ dicantur.

Pro Christianissimo Rege, & Matre Regina Gallorum, à quolibet Sacerdote duæ Misſæ celebrentur.

Pro Eminentissima Congregatione Cardinalium, à quolibet Sacerdote vna Misſa dicatur.

Pro Eminentissimo D. Cardinali Francisco Barberino Ordinis Protectore, à quolibet Sacerdote vna Misſa dicatur.

Pro Excellentissimis DD. Comitibus de Chinchon Capituli, & Religionis Patronis, quorum beneficentia expensæ Capituli Generalis factæ sunt, à quolibet Sacerdote vna Misſa dicatur.

Pro prospero statu Ordinis, & Seraphicæ nostræ Religionis, à quolibet Sacerdote vna Misſa dicatur.

Pro fœlici statu sacri Ordinis Prædicatorum, à quolibet Sacerdote vna Missa celebretur.

Pro pace Principum Christianorum, pro extirpatione hæresum, Fidei propagatione, Victoria contra infideles, ac Ecclesiastici Status prosperitate, à quolibet Sacerdote dicantur duæ Missæ.

Ege-

Ego Camillus Maximus Patriarcha Ierosolymitanus Præses Capituli.

Fr. Michael Angelus à Sambuca Minister generalis.

Fr. Theodorus à Vicentia Procurator Generalis Ordinis.

Fr. Lucius à S. Iusto Excommissarius Generalis Curiæ.

Fr. Ioannes à Pinarolo Procurator Reformatorum.

Fr. Marcellinus Radaelli Diffinitor Gen.

Fr. Bonauentura de Clusa Diffinitor Gener.

Fr. Michael Angelus à Neapoli Diffinitor Generalis.

Fr. Ioannes de Robles Commissarius Generalis.

Fr. Rochus à Villarezo Cōmißarius Curiæ Romanæ.

Fr. Bartholomæus à Villalba Exprocurator Generalis Ordinis.

Fr. Ioannes à Munieza Diffinitor Generalis.


Fr. Ioannes à Villamar Diffinitor Generalis.

Fr. Ludouicus Manis Diffinitor Generalis.

Fr. Fe-

Fr. Fœlix à Setia Diffinitor Generalis.	*Fr. Andreas Houbercau Diffinitor Generalis.*
Fr. Franciſcus Mancini Diffinitor Generalis.	*Fr. Frãciſcus Gendt Diffinitor Generalis:*
Fr. Franciſcus Statfeldt Diffinitor Generalis.	*Fr. Gerardus Ioãnis Diffinitor Generalis.*

Loco ✠ Sigilli.



Conſti-

Confirmatio Apoſtolica Conſtitutionum Generalium Capituli Generalis Toletani celebrati die 8. Iunij M DC LVIII.

ALEXANDER PP. VII.



D perpetuam rei memoriam. Ad eximios vberoſq. fructus quos dilecti filij fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia tam de Familia, quam reformati nuncupati, in vinea Domini Sabaoth, cuius curæ, atque regimini ſuperni Patris familias prouidentia, meritis, licet imparibus præſidemus, in dies afferunt, mentis noſtræ aciem conuertentes ea, quæ pro fœliciori eorundem Fratrum gubernio in Capitulis pręſertim generalibus ſtatuta, & ordinata ſunt, vt ab omnibus quos illa concernunt inuiolabiliter obſeruentur, Apoſtolici muniminis patrocinio libenter roboramus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Michael Angelus à Sambuca Miniſter Generalis totius Ord. Fratrum Minorum S. Franciſci, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis de anno MDCLVIII. in ciuitate Toletana ce-

lebrato, diuersæ constitutiones pro fœliciori Fratrum dicti Ordinis, tàm de Obseruantia, quàm Reformatorum nuncupatorum gubernio editæ fuerunt, quas pro inuiolabili earum obseruatione Apostolicæ confirmationis robore cõmuniri plurimum desiderat. Nos pijs d. Michaelis Angeli Ministri Generalis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus, fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à Iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Constitutiones prædictas in ijs tantum quæ Sacris Canonibus, Concilij Tridentini decretis, cæterisque constitutionibus, seu ordinationibus, ac decretis Apostolicis præsertim reformationem dicti Ordinis illiusque Fratres reformatos, seu recollectos, vel discalceatos nuncupatos quomodolibet concernentibus, & quandocumq; editis non sint contraria, Apostolica authoritate, tenore præsentium approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomo-
dolibet

dolibet exorti fuerint, vel interuenerint, supplemus. Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub arbitrij nostri, ac in Constitutionibus prædictis contentis pœnis, omnibus, & singulis fratribus prædictis cæterisque ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, vt Constitutiones prædictas iuxta præsentium literarum nostrarum tenorem inuiolabiliter obseruent, decernentes irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinis prædicti etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus cæterisque contrarijs quibuscumq; Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die vij Iunij MDCLIX. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

G. Gualterius.

Sanctiss. D.N. ALEXANDRI PP. VII.

Concessio Indulgentiæ plenariæ Fratribus Strict. Obseruantiæ Sancti Francisci exercitijs spiritualibus per octiduum vacantibus.

ALEXANDER PP. VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

CVM sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Michael Angelus à Sambuca Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Minister Generalis in Capitulo generali eiusdem Ordinis nouissimè Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, vt secessus, & spiritualia mortificationis, & orationis mentalis exercitia in omnibus Prouincijs Cismontanæ Familiæ Ordinis prædicti reassumantur, & illis Fratres earumdem Prouinciarum aliquoties singulis annis vacent, Nos qui probè nouimus quantopere conducant exercitia huiusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christifidelium mentibus, deuotionem fratrum memorati Ordinis, qui de suorum superiorum licentia operi adeo pio, & salutari vacauerint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis

gis imitare volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis prædicti Ordinis Fratribus tam Clericis, quam Laicis seu conuersis, qui in domibus Regularibus Prouinciarum prædictarum de suorum Superiorum licentia exercitia prædicta per octidui spatium quandocumque peregerint, & interea temporis verè pœnitentes, & confessi sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, Plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus in perpetuum valituris. Volumus autem quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eædem præsentes nullæ sint eo ipso, quodque earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici, vel Secretarij dicti Ordinis subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Ministri Generalis prædicti Ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S.Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XI.Iunij MDCLIX. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

G. Gualterius.

CA.

CATHALOGVS

Reuerendiss. Patrum Ministrorum Generalium totius Ordinis Minorum S.P.N. FRANCISCI.

Ex libro, qui Firmamentum trium Ordinum, *inscribitur, Ex Lib.* Conformitatum, *& S. Antonino, Rodulpho, Gonzaga, & Vvadingo accuratè, & diligenter desumptus, per Fratrem Franciscum à Neapoli, Prouinciæ Reformatæ Terræ Laboris Minorum de Obseruantia.*

1 SANCTISSIMVS P.N. FRANCISCVS BERNARDONVS de Assisio Ordinem fundauit anno 1208. Per se, & suos Vicarios rexit annis 18. & vltra.

2 Reuerendiss. P.F.Helias à Cortonio Etruscus electus 1227. rexit annis 3.

3 R.P.F.Ioannes Parens ex oppido Carmignano non longè à Pistorio, natione Etruscus, Minister Hispaniæ, electus 1230. rexit annis 6.

4 R.P.F. Helias, qui supra, secundo tumultuariè electus 1236. rexit annis 3.

5 R. P. F. Albertus Pisanus Minister Angliæ, Prouinciæ Tusciæ, electus 1239. rexit mensibus 4.

R.P.F.

6 R.P.F. Haymo Anglicus de Feuersham, patria Cantianus, electus 1239. rexit annis 5.

7 R.P.F. Crescentius Aesinus, prouinciæ Marchiæ, electus 1244. rexit annis 4. vel circiter; electus Episcopus Assisias.

8 R.P.F. Ioannes Picus Parmensis, prouinciæ Bononiæ, electus 1247. rexit annis octo cùm dimidio.

9 R. P. & Sanctiss. Doctor Ecclesiæ, F. Bonauentura Fidanza à Balneoregio, Hetruscus, prouinciæ Romanæ, electus 1256. rexit annis 18. S.R.E. Cardinalis, Episcopus Albanensis: Præses Generalis Concilij Lugdunensis, in Sanctorum numerum adscriptus.

10 R. P. F. Hieronymus de Asculo, prouinciæ Marchiæ electus 1274. rexit annis 5. creatus Papa 1288. dictus Nicolaus IV.

11 R.P.F. Bonagratia de sancto Ioanne in Persiceto, prouinciæ Bononiæ, quem aliqui Dalmatinum faciunt, electus 1279. rexit annis 6.

12 R.P.F. Arlottus de Prato, prouinciæ Tusciæ, electus 1285. rexit anno vno.

13 R. P. F. Matthæus de Aquasparta, prouinciæ sancti Francisci, electus 1287. rexit annis 2. S.R.E. Cardinalis Episcopus Portuensis.

14 R. P. F. Raymundus Gaufredi Gallus, prouinciæ Prouinciæ, electus 1289. rexit annis 7. Episcopus Patauinus electus.

R.P.

15 R. P. F. Ioannes Minius de Muro Vallium, prouinciæ Marchiæ, electus 1296. rexit an. 8. S.R.E. Cardinalis Episcopus Portuensis.

16 R.P.F. Gundisaluus de Valle bona Gallecus, prouinciæ S.Iacobi, electus 1304. rexit ann. 9.

17 R.P.F. Alexander de Alexandria, prouinciæ Genuæ, electus 1313. rexit anno vno cum dimidio.

18 R.P.F. Michael à Cæsena, prouinciæ Bononiæ, electus 1316. rexit annis 13.

19 R.P.F. Gerardus Odonis, prouinciæ Aquitaniæ, electus 1327. rexit annis 14. Episcopus Catanensis, & Patriarcha Antiochenus.

20 R.P.F. Fortanerius Vaselli Gualensis, prouinciæ Aquitaniæ, electus 1341. rexit annis 5. mensibus 8. ex Episcopo Massiliensi creatus est S.R.E. Cardinalis Episcopus Rauennas, & Patriarcha Gradensis.

21 R. P. F. Gulielmus Farinerius, prouinciæ Aquitaniæ, electus 1348. rexit annis 8. S.R.E. Cardinalis.

22 R.P.F. Ioannes Buechius, prouinciæ Aquitaniæ, electus 1357. rexit anno vno mensibus 7.

23 R. P. F. Marcus à Viterbio, prouinciæ Romanæ, electus 1359. rexit annis 8. S. R. E. Cardinalis.

24 R.P.Fr. Thomas à Farignano Mutinensis, prouinciæ Bononiæ, electus 1367. rexit annis 6.

S.R.E.

S.R.E. Cardinalis, & Patriarcha Gradensis.

25 R.P.F. Leonardus de Rubeis de Gisono, prouinciæ Terræ laboris, electus 1373. rexit annis 6. Cardinalis Clementis 7. in schismate.

26 R.P.F. Ludouicus Donatus à Venetijs, prouinciæ S. Antonij, electus 1379. rexit annis 4. S.R.E. Cardinalis.

27 R.P.F. Petrus à Canzano, prouinciæ Pennensis, electus 1383. rexit anno vno, mensibus aliquot.

28 R.P.F. Martinus à Sancto Georgio, à Riparolo, prouinciæ Genuæ electus 1385. rexit annis 2. & vltra.

29 R.P.F. Henricus Alferus Astensis Pedemontanus, prouinciæ Genuæ, electus 1387. rexit annis 18.

30 R.P.F. Antonius Angelus à Pyreto, prouinciæ Romanæ, electus 1405. rexit annis 16. quẽ Græcum facit Rodulphus.

31 R.P.F. Angelus Saluerus de Senis, prouinciæ Tusciæ, electus 1421. rexit annis 2. mensibus 5.

32 R.P.F. Antonius à Massa, prouinciæ Tusciæ, electus 1423. rexit annis 6. Episcopus Massensis, & Populoniæ.

33 R.P.F. Gullielmus de Casali, prouinciæ Genuę, electus, 1430. rexit annis 12.

34 R.P.F. Antonius de Rusconibus, prouinciæ

Mediolanensis, Episcopus Nouocomensis, electus 1443. rexit ann.7.

35 R.P.F. Angelus Serpetri Perusinus, prouincię Sancti Francisci, electus 1450. rexit ann.3.

36 R.P.F. Iacobus à Mozanica, prouinciæ Mediolanensis, electus 1454. rexit ann.4.

37 R.P.F. Ioannes Scorzula Cathalonius, prouinciæ Aragoniæ, electus 1458. rexit ann.6.

38 R.P.F. Franciscus à Ruuere Sauonensis, prouinciæ Genuæ, electus 1464. rexit an. 5. creatus Papa 1371. dictus est Sixtus IV.

39 R.P.F. Ioannes, seu Zanettus de Vtino, prouinciæ S. Antonij, electus 1469. rexit an.6.

40 R. P. F. Franciscus Sanson de Brixia, electus 1475. rexit ann. 24. cum dimidio.

41 R.P.F. Ægydius Delphinus Amerinus, prouinciæ Romanæ, electus 1500. rexit an.6.

42 R. P. F. Raynaldus Gratianus à Cotignola, prouinciæ Bononiæ, electus 1506. rexit an. 4. Archiepiscopus Ragusinus.

43 R.P.F. Philippus Bagnacaballensis, prouinciæ Bononiæ, electus 1510. rexit anno vno mensibus 3.

44 R.P.F. Bernardinus à Cherio Pratensis, prouinciæ Genuæ, electus 1512. rexit ann.4.

R.P.

45 R.P.F. Christophorus Numalius Foroliuiensis, prouinciæ Bononiæ electus 1516. rexit anno vno S.R.E. Cardinalis Episcopus Iserniensis, deinde Alatrinensis. Hic est primus Minister Generalis Obseruantium, ad quos auctoritate Leonis X. translatus est Titulus Ministri Generalis Fratrum Minorum, & Patribus Conuentualibus datus est Titulus Magistri Generalis Conuentualium. Nunc verò ex concessione Sixti V. Generales Conuentualium gaudent Titulo Ministri Generalis Conuentualium, non amoto tamen Titulo Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum ab Obseruantibus, ex Decreto S. Rituum Congregationis 22. Martij 1631.

46 R.P.F. Franciscus Lichettus Brixiensis, prouinciæ Brixiæ, electus 1518. rexit ann. 2.

47 R.P.F. Paulus à Soncino, prouinciæ Mediolanensis, electus 1520. rexit ann. 3.

48 R.P.F. Franciscus de Angelis Quignonius Hispanus, prouinciæ Angelorum, electus 1523. rexit an. 5. S.R.E. Cardinalis.

49 R.P.F. Ioannes Pisottus Parmensis, prouinciæ Bononię, electus 1528. rexit ann. 4.

50 R.P.F. Vincentius Lunellus Hispanus, prouincię Carthaginensis, electus 1534. rexit an. 6

51 R.P.F. Ioanes Caluus, prouiuciç Corsicç, electus 1540. rexit an. 5.

52 R.P.F. Andrças Insulanus, prouinciç Portugalliç, electus 1547. rexit ann. 6. deinde Commissarius Generalis Vltramontanus.

53 R.P.F. Clemens Dolera Monelianus Ligur, prouinciç Genuç, electus 1553. rexit ann. 6. S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Fulginatensis.

54 R.P.F. Franciscus Zamorensis Hispanus, prouinciç Carthaginensis, electus 1559. rexit annis 6.

55 R.P.F. Aloysius Puteus, prouinciç Bononiç, electus 1565. rexit an. 6.

56 R.P.F. Christophorus à Capite fontium Brittannus, prouinciç Brittanniç, electus 1571. rexit an. 8. Archiepiscopus Cçsariensis.

57 R.P.F. Franciscus Gonzaga Mantuanus, prouinciç S. Antonij, electus 1579. rexit an. 8. Episcopus Cçphaludensis, deinde Papiensis, vltimò Mantuanus.

58 R.P.F. Franciscus à Tolosa, prouinciç Cantabriç, electus 1587. rexit an. 6.

59 R.P.F. Bonauentura Secusio à Calatagirone, prouinciç Siciliç, electus 1593. rexit an. 6. Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopus Pactensis, Archiepiscopus Messanensis, & Episcopus Catanensis.

R.P.

60 R.P.F. Franciſcus à Soſa, prouincię S. Iacobi, electus 1600. rexit annis 6. Epiſcopus Canarienſis, deinde Oxomenſis, vltimo Segobienſis.

61 R.P.F. Archangelus à Meſſana, prouincię Siciliç, electus 1606. rexit ann. 6. Archiepiſcopus Montis Regalis.

62 R.P.F. Ioannes del Hierro, prouinciç Beticç, electus 1612. rexit anno vno, menſibus 6.

63 R.P.F. Benignus de Genua, prouinciç Siciliç, electus 1618. rexit an. 7. deinde Commiſſarius Generalis Citramontanus rexit an. 9.

64 R.P.F. Bernardinus de Senis Luſitanus, prouinciç Portugalliç, electus 1625. rexit ann. 7. Epiſcopus Viſenſis in Luſitania.

65 R.P.F. Ioannes Baptiſta à Campania, prouinciç Principatus, electus 1633. rexit an. 6. Epiſcopus Derthuſenſis in Cathalonia, nunc Puteolanus.

66 R.P.F. Ioannes Merinerus, prouinciæ Caſtellæ, electus 1639. rexit an. 6. Epiſcopus Ciuitatenſis, vulgo Ciudad Rodrigo.


67 R.P.F. Ioannes à Neapoli, prouinciæ Reformatæ Terræ laboris, olim Miniſter prouincialis, Pater Ordinis, Conſultor S. Generalis Inquiſitionis in Regno Neapolis. electus 1645. qui quadriennium ſui officij attingens ad cœleſtia vocatus eſt, & R. P. F. Daniel à

Don-

Dongo Vicarius Generalis totius Ordinis vltra biennium ordinem gubernauit.

68 R.P.F. Petrus Manerus prouinciæ Aragoniæ Pater, Lector iubilatus, Qualificator Supremæ Inquisitionis Hispaniarum, olim Minister Prouincialis, Diffinitor, & Secretarius Generalis Ordinis, & actu existens Vice Commissarius Generalis Vltramontanæ Familiæ electus anno 1651. Episcopus Tarraconensi.

69 Reuerendiss. P.F.Michael Angelus à Sambuca prouinciæ Reformatæ Siciliæ Vallis Mazzariæ Pater, eiusdem Regni S. Officij Qualificator, olim Diffinitor, & Secretarius Generalis, suæ prouinciæ Exprouincialis, & nunc denuo Generalis Diffinitor, Hispanias pergens, electus anno 1658. nunc feliciter Ordinem gubernat.



DECRETA NONNVLLA à Sacris Congregationibus emanata,

Quomodo sit eligendus Commissarius ad Comitia Generalia mittendus.

1 EMinentiss. & Reuerendiss. Signori. *Il Ministro Prouinciale de Minori Osseru. Riformati di questa Prouincia Romana, humilmente supplica l'EE. VV. dichiarare à chi spetti il proporre il Cõmissario da eleggersi, ò per restare al gouerno della Prouincia, ò per andare al Capitolo Generale à portare il voto in luogo di esso Oratore, e se si possa eleggere à voti publici, ò per ballottatione; ò vero se si debba eleggere Per schedulas, nemine proponente. Che il tutto &c.*

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs, & Consultationibus Episcop. & Regul. præposita censuit non licere procedere ad electiones Commissariorum huiusmodi, nisi per schedulas, & vota secreta, ac per pluralitatem votorum nemine proponente, & ita semper seruari mandauit in omnibus Prouincijs præfati Ordinis Reformatorum. Romæ 27. Ianuarij 1645. M, Card. Ginettus. Loc. † sigilli. H. Archiepiscopus Patracensis Secr.

Quod Minister Prouincialis, Præside non interueniente, in Definitorijs Prouincialibus, votum decisiuum habeat.

2 SAcra Congreg. S.R.E. Cardinaliũ negocijs, & consultationibus Episc. & Regularium præposita, ad euitandam paritatem suffragiorum, quæ ex numero pari sex vocalium, quibus Definitoria Prouincialia constant, tam in electionibus faciendis, quam in negocijs decidendis oriri potest, Ministris Prouincialibus, deficiente Præside, in huiusmodi casibus votum decisiuum concessit. Dat. Romæ 13. Martij 1653. M. Card. Ginettus. Loco † sigilli. H. Archiepiscopus Patracensis Secr.

Quod vacatio sexennij ad reelectionem Ministri Prouincialis, & Desinitorum, intelligatur de annis Capitularibus.

3 EMinentiss.& Reuerendiss. Signori. *Per rimouere le difficoltà, che nelle Prouincie de Minori Osseru. Riformati occorrono nella reelettione de soggetti in Ministri, Custodi, e Diffinitori de quali in virtù d'una Constitutione della santa me. di Gregorio XV. che comincia, Militantis &c. si dice, Fratres prædicti qui officio Ministri Prouincialis, Custodis, ac Diffinitoris functi sũt, nullo modo possint reeligi, nisi sexennio transacto, & ànco in vigore di due decreti della Sacra Congregatione emanati sotto li 2. di Giugno, e l'altro sotto li 7. Luglio 1651. supplica humilmente l'EE. VV. il Cmmissario Generale del medesimo Ordine à degnarsi di dichiarare, che la prescritta s'intenda d'anni Capitolari, e non solàri, come con molte ragioni rappresenta l'Oratore in vn foglio separato all'EE. VV. Quas Deus &c.*

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit præinsertam Constitutionem Gregorij XV. cum prædictis decretis intelligendam esse de annis Capitularibus, itaut tempus intercedens duo Capitula sit integra vacatio in eadem Constitutione præscripta. Romæ 9. Maij 1653. M.Card. Ginettus. Loc. † sigilli. Hi. Archiep. Patracen. Secr.

Quòd in subrogationibus non requiratur vacatio sexennij.

4 SAcra Congreg. S. R.E. negocijs, & consultationibus Episcoporũ, & Regularium præposita re maturè perpensa censuit, & declarauit vacationem sexennij à die expleti officij statutam in Breue san. mem. Gregorij XV. emanato sub die 22. Februarij 1622. non habere locum in subrogationibus, quas ad præscriptum Constitutionum Ordinis fieri cõtingit. Dat. Romæ hac die 17. Nouembris 1651. M. Card. Ginettus. Loco † sigilli. M. Albericius Secr.

Quo-

Quomodo in Prouincijs strictioribus vacatio sexennij restringatur ad triennium.

5 CVm à Sac. Congreg. S.R.E. Cardinalium negocijs, & consultationibus Episcoporũ, & Regularium præposita sub die 2. Iunij 1651. fuerit declaratum vacationem sex annorum in officijs Ministri Prouincialis, Custodis, & Diffinitoris Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia aliàs à fa. me. Greg. XV. statutam in suo Breui emanato sub die 22. Februarij 1622. intelligendam esse à die expleti officij; nec propterea in Prouincijs strictioribus, in quibus ex Constitutionibus Ordinis duodecim dumtaxat Fratres assignantur, ex quibus Custos, & Definitores actuales sunt eligendi, electiones huiusmodi adeo arctatæ remaneant, vt sufficiens numerus minimè supersit, ad eas, qua par est libertate peragendas; Eadem Sacra Congregatio instante Commissario Generali eiusdem Ordinis, decreuit, vt quotiescumque supradictis Fratribus, alijsque altioris Ordinis, quibus vigore earumdem Constitutionum ius passiuum ad electionem competit, non supersunt saltem septem inter quos electio cadere valeat, eo casu possint etiam eligi reliqui, qui per solum triennium vacauerint. Dat. Romæ 24. Ianuarij 1653. M. Card. Ginettus. Loc. ✝ sigilli. M. Albericius Secr.

Quòd si contingat Ministrum Prouincialem, primo sui officij anno vacare, fiat electio successoris cum quo debeant continuare triennium alij Prouinciæ Superiores, atque Officiales, qui cum primo Ministro fuerant electi.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

6 CReditum humilitatis nostræ, meritis licet insufficientibus, per ineffabilem Diuinæ sapientiæ prouidentiam Apostolicæ seruitutis officium iugiter nos admonet, vt Christi fidelium sub suaui Religionis iugo, diuini Numinis obsequijs

 famu-

famulantium fœlici statui, atque directioni, quantum cum Domino possumus, opportunè consulamus. Hinc est, quòd nos supplicationibus dilecti filij Bernardini de Senis, Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia Ministri Generalis, nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, si vllum dicti Ordinis Ministrum Prouincialem, primo sui officij anno ab hac vita decedere, siue idem officium, ex quauis causa vacare, seu cessare contigèrit, Minister Prouincialis tunc recens electus, seù deputatus, vna cum alijs eiusdem Prouinciæ Superioribus, atque officialibus, in suis huiusmodi officijs, ad triennium continuet, & continuare debeat, Apostolica authoritate, tenore præsentium statuimus, atque ordinamus. Decernentes præsentes litteras semper, & perpetuo valituras, firmas, & efficaces existere, ab omnibusque dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obseruari, sicque et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores vbique iudicari, et diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliâ roboratis. statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innouatis. Quibus omnibus, et singulis eorum omnium, tenore præsentium pro plenè, et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresѕè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 13. Augusti 1625. Pontif. nostri Anno tertio.

V. Theat.

Quod

Quòd Episcopus in electione Abbatissæ Monialium exemptarum non possit exquirere, seù recipere vota suffragantium.

7 DIe decima Septembris 1639. Sac. Congr. Eminentissimorum Cardinalium Cõcil. Tridentini Interpretum censuit, Episcopum in electione Abbatissæ Monasterij Monialium Regularibus subiectarum non posse exquirere, seù recipere vota Monialium, sed illa exquiri, & recipi debere à Superiore Regulari, sciente tamen, & audiente eodẽ Episcopo. I. B. Card. Pamphilius. Loc. † sigilli. F. Paulutius Sac. Cong. Conc. Secr.

Quòd Mendicantes, non possint in quærendis eleemosynis ab Episcopis impediri.

8 SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per seipsos in Diœcesibus, vbi habent Conuentus eleemosynas quærant, sed tantum si extra loca, vbi Monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere. R. Card. Vbaldinus. Loc. † sigilli. P. Fagnanus S. C. C. Secr.

Quòd prætensæ electioni Discretorum Conuentuum pro Capitulo Prouinciali, perpetuum silentium imponatur.

9 SAcra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negocijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, visis supplicibus libellis, nomine plurimorum Fratrum, tum de Obseruantia, tum Reformatorum Sancti Francisci Cismontanæ familiæ instantium pro restitutione assertæ consuètudinis eligendi vocales, seu Discretos à Conuentibus mittendos ad Capitula Prouincialia; Auditisq. sæpius in particulari Congregatione Patribus Commissarijs Gene-

Generali, & Curiæ, nec non Procuratore Generali Reformatorum, partibusque hinc inde tàm verbo quàm scripto informantibus, cum omnibus, pro vtraque earum deductis,& postmodum toto negotio in plena Congregatione, Eminentissimo Pallotto referente, diligenter,& maturè discusso, censuit, in Prouincijs Cismontanis, tam Obseruantiæ, quam Reformatorum non esse locum præfatæ Discretorum electioni. ac proinde imponendum esse desuper perpetuum silentium (facto verbo cum Sanctissimo) Decreto fel. rec. Innocentij X. cæterisque contrarijs non obstantibus quibuscumque. Quam sententiam Sacræ Congregationis eidem Sanctissimo D. N. relatam, Sanctitas Sua approbauit, eamque seruari, & Decretum desuper expediri mandauit. Romæ 23. Octobris 1657. M. Card. Ginettus. Loco † sigilli. E. Episcopus Camerinen. Secr.

Quomodo Fratres Minores de Obseruantia sint capaces legatorum perpetuorum.

10 SAcra Congreg Cardinalium Concilij Trid. Interpretum, aliàs censuit Fratres Minores Obseruantes esse capaces legatorum in pecunia ad effectum conuertendi, in necessitates Ecclesiæ, & Conuentus. D. Cardinalis Vbaldinus. F. Paulutius Sac. Cong. Conc. Sec.

Congregatio Concilij censuit tàm legatum rerum immobilium factum Fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia; quam institutionem hæredis factam sub modo licito bona nempe, vt vendantur, & pretium conuertatur in necessitates Ecclesiæ validam esse. Idemque esse si modus non fuisset adiectus, cum suo modo licito semper legatum, & institutio illis facta intelligatur. Ita est A. Card. Caraffa.

Quòd

Quod Episcopi non limitent auctoritatem Confessariorum ad certas personas, & tempus, & specialiter ad ægrotos in domibus eorum, & quibus in casibus eosdem suspendere possint.

11 SAcra Congregatio Concilij Tridentini Interpr. censuit quod Regulares, qui, quoad Confessiones audiendas, idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumque examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumuè locorum, aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria, de cæteris, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum, relinquitur ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare. & admittere. Qui autem in domibus laicorum Confessiones, ex causa, audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ Confessionis, pro Medico adueniente, relinquere. Romæ die secunda Iulij millesimo quingentesimo octuagesimo septimo.

12 Cum Sacræ Congregationi Cardinalium negocijs Episcoporum, & Regularium Præpositorum innotuerit, Confessarios Regulares grauiter conqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs ab audiendis Confessionibus quauis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sępe contingere, vt ab ijsdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs omnibus simul vnius Conuentus Confessarijs confessiones audiendi facultas adimatur; Illustrissimi eiusdem Sacræ Congregationis Patres, rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque Animarum pernicie contingant, re maturè perpensa, ad omnem scandali materiam summouendam, & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, ac decernunt, Archiepiscopis: Episcopis, alijsque locorum Ordinarijs, ad quos Confessarios approbandi ius spectat, Confessarios Regulares, alias ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere posthac minime licere, nisi ex noua causa,

eaque

eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum. Statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios Confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessarijs, eadem Sacra Congregatione inconsulta: nullo pacto adimere posse. Quod quidem Decretum, vt ijdem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obseruari. Romæ die 20.Nouembris 1615. A.Mar.Episc. Hostien. Card. Gallus. Locus † sigilli. V.Theatin. Secret.

13 Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Regularium præposita, inherens declarationibus alias desuper editis, censuit, Regulares prædictos à locorum Ordinarijs ad audiendas personarum sęcularium confessiones approbatos, non posse ab eisdem Ordinarijs prohiberi, ne earundem personarum ægrotantium in proprijs illarum domibus confessiones audire possint absque licentia Parochorum; dummodo relinquant schedulam, vel notificent ipsis Parochis, quod pœnitentiæ sacramentum huiusmodi fuerit ab eis ministratum. Romæ die 13.mensis Septembris 1641. Fr.Ant.Card.S.Honuphr. Locus † sigilli. L.Archiep.Theb.Secr.

Responsiones Sacræ Congregationis ad quadam dubia.

14 SAcra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negocijs, & consultationibus Regularium præposita, visis infrascriptis dubijs per Ministrum Generalem Ordinis Minorum S. Francisci tenoris sequentis videlicet.

Primo Summi Pontifices, & præcipue, Paulus IV. & Gregorius XIII. vt certis officiorum in Religione tempus stabilirent eorum perpetuitatem penitus sustulerunt, sed frustra; Prouinciales enim exacto sui ministerij triennio si contingat successorem discedere à Prouincia, vel è viuis excedere in Commissarios, seù Vicarios Prouinciales se se assumi procurant; tametsi ad sexennium dignitatibus vacare deberent,

atque

atque adeò non desunt, qui in octo annos, & vltra Ministri, vel Vicarij, aut Commissarij Prouincialis titulo Prælaturam extendunt; Constitutionum verba pro suo libito interpretantes. Quare, vt huiusmodi continuatio euitetur supplicantur EE. VV. decernere, An & quanto tempore vacare debeat Ministri, antequam in Vicarios seu Commissarios Prouinciales; Vicarij in Ministros, & Vicarij in Commissarios, seu Vicarios Prouinciales eligi possint, vbi dictum munus per duos annos obierint.

Secundo. In quadam Hispaniæ Prouincia, vltimus Prouinciæ Pater, qui vigore Bullæ S.m. Vrbani VIII. ingrediendi diffinitorij facultatem habet, intrare tamen recusauit, cum in finem, vt Patri sibi in primis charo (cuius erat in aliorum defectum subrogari) ad honorem sterneret viam. Defuncto paulò post ex Definitoribus vno, idem Prouinciæ Pater, qui suis iuribus renunciauerat in vacantis locum admitti præsumpsit. Quæritur, an is, qui renunciauit tamquam Modernus Prouinciæ Pater subintrare valeat in locum deficientis, cum dubitari possit de collusione.

Tertiò. Nonnulli Prouinciales eò Dominij, & auctoritatis deuenerunt in suis Prouincijs, vt in Diffinitores, suis tantummodo factionibus adhærentes, & plerumque malæ notæ Religiosos, eligendos curent. Vnde consequitur, quod, quando in actu visitationis, errores, & defectus, siue in Ministro, siue in aliquo ex Diffinitoribus, vel eorum amicis deteguntur, ad debitas pœnas, & punitionem non procedatur, cum ipsorummet Diffinitorum sit causas iudicare. Propterea EE. VV. declarare dignentur, An stante diffidentia Iudicum possit Generalis addere Diffinitorio quatuor, vel sex eiusdem, vel alterius Prouinciæ approbatos. Patres, qui sint Coniudices in causis taliter Inquisitorum, vel potius ad eradicandos huiusmodi abusus excludere à voce passiua Religiosos grauissimis de causis inquisitos; quamuis nondum per sententiam damnatos. Eisdem examinatis, & maturè perpensis.

Respondit ad primum. Neque Vicarium Prouincialem

in Ministrum, neque Ministrum in Vicarium, Vel Commissarium Prouincialem, neque Vicarium in Commissarium, aut Vicarium Prouincialem eligi posse, nisi saltem per integrum triennium ab huiusmodi officijs vacauerit. Aliter electos cessare debere, à notificatione præsentium.

Ad secundum. Cessiones, seu renunciationes fieri non posse, nisi cum expressione causæ à Definitorio cognoscendæ & approbandæ. Causa autem semel admissa, eaque durante ad huiusmodi officia, neque per electionem, neque per subrogationem, aut quamcumque aliam viam, resignantes, seu cedentes assumi posse, aut munia prædicta exercere.

Ad Tertium. Tàm in casu suspicionis Indicum (quando est proferenda sententia) quàm in casu publicæ diffamationis Inquisitorum, iuxta cap.4. de Accus. (quando causa ante electiones expediri non potest) procedendum esse secundum dispositionem Iuris communis, vbi Constitutio particularis eiusdem Ordinis non prouideat. Romæ 20. Nouemb. 1654.

M. Card. Ginnettus.

H. Archiepiscopus Patracensis Secr.

Quod absolutio à Reseruatis, inter Regulares, competat tantummodo Generali, & Prouinciali, & quibus ab eis delegatur.

15 IN Congregatione Adm. Illustrium, & RR. PP. RR. Prælatorum Visitationis Apostolicæ, Sanctissimi Domini Nostri Papæ. Die 13. Martij 1601. habita; Inter alia Al memoriale del P. Custode de' Reformati di San Francesco; la Santità sua dichiara, ch'il Decreto suo sopra la reseruatione de' casi de'Religiosi, fatto alli 26. di Maggio 1593. non dispone, ne determina à chi spetti l'autorità d'assoluere da detti Casi, rimettendosi in questo alle Constitutioni, vso, & osseruanza commune, delle Religioni, ch'il Generale, e Prouinciale habbino quest'autorità ordinaria, e non li Guardiani, e Priori, Superiori immediati de' Conuenti. Doueranno però detti Prouinciali de' Conuenti, e Generale communi

municare detta facoltà in ciaschedun Conuento à persona discreta, & intelligente per assoluere i Religiosi di quel Cõuento, che saranno ricorso; ò vero nelli casi particolari, ch' occorreranno, concedere la facoltà à ciascuno Confessore, deputato in detto Conuento, quando esso Confessore ne faccia istanza, e giudica spediente segli conceda; nel qual caso li superiori, anco delegati, doueranno prontamente concederla, conforme al detto Decreto Pontificio, perche negandosi, la Santità sua intende, ch'il Confessore possa assoluere da detto caso &c. loco † sigilli. Iacobus Butius Canonicus Lateraneñ, Visitationis Apostolicæ Sanctissimi Domini Nostri Notarius &c.

Quod si Definitor potest electionibus conuenire, & tamen recusat, non est facienda subrogatio alterius in eius locum.

EMINENTISS. e REVERENDISS. SIG.

16 *IL Ministro Prouinciale de' Min. Osseruanti Riformati di Milano, desiderando che l'elettioni de' Superiori nella sua Religione si faccino sempre in conformità delle proprie Constitutioni, e de i Decreti di questa Sac. Congregatione, supplica humilmente l'EE. VV. à degnarsi dichiarare, se ne i casi, che alcuni Diffinitori presenti, ancorche intimati à concorrere all'elettioni, ricusino d'interuenirui, si debbano all'hora, in lor vece, sostituire degl' altri Padri della Prouincia, conforme le Constitutioni Riformate ordinano, cap. 8. num. 51. che si facci quando manca alcuno de' Diffinitori, che non si possi hauere per lo spatio di tre giorni. Che il tutto &c.*

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negocijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præposita, audito Commissario Generali Ordinis, & referente Eminentissimo Franciotto censuit, casum propositum non comprehendi sub dispositione cap. 8. num. 51. Constitutionum, quoad prætensam subrogationem. Romæ 6. Augusti 1655. M. Card. Ginnettus. loco † sigilli. H. Archiepiscopus Patrac. Secr.

MONITORIVM A. C. pro obseruantia Decretorum ad Sepulturam spectantium.

Octauianus Raggius Prothonotarius Apostolicus Vtriusque Signaturæ S.D.N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius: sententiarum quoque, & censurarum tam in eadem Romana Curia, *quam extra eam latarum, ac litterarum Apostolicarum quarumcumque vniuersalis, & merus exequutor ab eodem Sanctiss. D.N. Papa specialiter electus, & deputatus.*

quos qui

VNIVERSIS, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scolasticis, Cantoribus Custodibus, Thesaurarijs, Sacristis, Parrochialiumque, & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu Locumtenentibus earum Plebanis, Viceplebanis, Curatis, vel non Curatis, cæterisq; Presbyteris, necnon Clericis, Notarijs, & Tabellionibus quibuscumq; illiq; vel illis adquē, vel ad quos, præsentes nostræ litteræ peruenerint, seu quomodolibet præsentabuntur salutem in Domino, & nostris huiusmodi, imò verius Apostolicis firmiter obedire mandatis NOVERITIS ex parte, & ad instantiam R R. Fratrum Sācti Frãcisci Minoris, & strictioris Obseruantiæ, ac quorumcumque eorumdem RR. Fratrum Conuentuum in quibusuis mundi partibus existen. principalium instantium Decretum Sacræ Congregationis Rituum de, & super declaratione quod officium super Cadaueribus in Ecclesijs Regularium spectet ad ipsos Regulares ad supplicationem dictorum instātium emanatum sub die 27. Nouembris 1638. Nobis præsentatum, fuisse sub infrascripto tenore videlicet. Sacra rituum Congregatio iuxta alias resoluta respondit, officium super Cadaueribus in Ecclesijs Regularium spectare, & pertinere ad

ipsos

ipsos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita in posterum seruari mandauit non obstante contraria cõsuetudine. Die 27. Nouembris 1638. C. Episcopus Portuen Cardinalis Pius, Iulius Cincius Secretarius; Loco † Sigilli. Necnon pariter aliud decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum DD. Cardinalium negotijs Episcoporum Præpositæ ad supplicationes pariter eorumdem RR. instantium emanat. die 14. Ianuarij 1639. de, & super eo, quod defunctorum cadauera sepelienda ab Aedibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè possunt nobis præsentatum pariter fuisse sub infrascripto tenore videlicet. SACRA Congregatio Cardinaliũ negocijs Episcoporum, & Regularium præposita censuit defunctorum Cadauera in Ecclesijs dictorum Fratrum sepeliẽda ab Aedibus Defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè posse monito tamen prius, & requisito, ac expectato proprio Defunctorum Parrocho à quo Benedictionem, & vltimum vale recipere possint, quo venire expressè recusante possint ijdem Fratres etiam ipso inuito dicta Cadauera ad suas Ecclesias transportare. Consanguinei verò talium defunctorum illis parentare in Parrochialibus, & alijs Presbyterorum etiam Cathedralibus Ecclesijs compelli nullo modo possint, si quę verò immemorabilis consuetudo in contrarium super præmissis existere prætendatur, legitimè probetur, & interim præsens Decretum ad vnguem seruetur. prout eadem Sacra Congregatio seruari mãdauit. Romæ die 14. Ianuarij 1639. Card. Antonius Barberinus, C. Fachenettus. Loco † Sigilli. Necnon aliud Decretum Eminentissimorum DD. Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum de, & super Declaratione quod quoties Cadauera Defunctorum, & alia quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent ab ipsismet Fratribus peragi debeant ad instantiam eorumdemmet RR. Fratrum pariter editum die 3. Decembris 1639. Nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore videlicet. Die 3. Decembris 1639. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij

 Tri-

Tridentini Interpretum, censuit quoties Cadauera Defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, Officia mortuorum, & reliqua quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, & peragi debere. I. B. Cardinalis Pamphilius, Franciscus Paulutius, Sacræ Congegationis Concilij Secretarius. Loco † Sigilli. Necnon aliud decretum Sacræ Congregationis Rituum sub die 14. Ianuarij 1640. ad supplicationem dictorum RR. FF. instantiũ emanatũ sub eo quod electio, & numerus Religiosorum pro associandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum spectet Nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore videlicet. SACRA Rituum Congregatio iuxta alias resoluta respondit, electionem, & numerum Religiosorum pro associandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum spectare, & pertinere, & ita vbique seruari debere declarauit. Die 14. Ianuarij 1640. P. Cardinalis Crescentius, Iulius Cincius Secretarius. Locus † Sigilli. POST quorum quidem præinsertorum Decretorum præsentationem ex parte, & ad instantiam dictorum RR. Fratrum instantium coram Nobis infrascripta die comparitum, & expositum extitisse, quod licet ex forma præinsertorum Decretorum officia super Cadaueribus in Ecclesijs ipsorum RR. Fratrum celebranda ad ipsos RR. Fratres spectent, & pertineant, non autem ad Curatos defunctorum ac etiam pariter ijdemmet RR. Fratres instantes possint, & valeant defunctorum cadauera in ipsorum Ecclesijs sepelienda ab Aedibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferre seruata ad hoc præinserti secundi Decreti forma. Ac etiam ex forma tertij Decreti præinserti officia mortuorum, & reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus prædictis peragi debeant, ac etiam ex forma quarti præinserti Decreti electio, & numerus Religiosorum pro associandis cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum spectet, & pertineat, præinsertaque Decreta inuiolabiliter obseruari, debitæque exequutioni absque vlla contradictione in omnibus, & per omnia,

ac

ac iuxta eorūm tenorem, & formam debeant, tamen ad eorum aures deueniſſe aſſertū extitit quod nōnulli in exequutione præſentium nominan. & cognominan. neſcitur quo iure ducti, qua ratione ſuffulti iactarunt, & iactant ſe velle præfatos RR. FF. inſtantes contra formā præinſertorum Decretorum, ac in eorum contemptum, de & ſuper præmiſſis in partibus moleſtare, & inquietare, & forſan moleſtāt, ideo ad nos vti exequutorem eorumdemmet Decretorum recurſum habuerunt, vt de opportuno iuris remedio prouidere dignaremur. Nos igitur attendentes requiſitionem huiuſmodi fore iuſtam, rationique conſonam Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet inſolidum tenore præſentium committimus; & in virtute ſanctæ obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam vigore præſentium fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus ex parte noſtra imò verius Apoſtolica authoritate, necnon ad omnem inſtantiam, quæ vobis omnibus, ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet fiet ex parte cuiuſuis Conuentus dictorum fratrum Moneatis, & requiratis primo, ſecundo, tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica, prout Nos etiam monemus, & requirimus omnes, et ſingulos prædictos, & in exequutione præſentium nominan. & cognominan. tàm coniunctim, quàm diuiſim, & alias omni meliori modo, quatenus infra ſex dierum ſpatium quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos pro tertio vltimo, et peremptorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem ſub mille ducatorum auri in auro R. Cameræ Apoſtolicæ applican. & pro illis mandati exequutiui, ſuſpenſionis à diuinis, priuationis beneficiorum, inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, ac in iuris ſubſidium quatenus opus ſit excommunicationis, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis ſi ſecus &c. debeant, et quilibet veſtrum debeat præinſertis Decretis in omnibus, et per omnia obtemperaſſe, dictaque præinſerta Decreta fore, eſſe exequenda, debitæque exequutioni demandanda, ipſoque in iuris ſubſidium

dium

dium excommunicandos, et declarandos fore, et esse ob non paritionem illorum, ac nisi illis paruerint declarari vidisse, ac de omnibus damnis, expensis, et interesse præmissorum occasione quomodolibet passis, et factis, et in futurum forsan faciendis, et patiendis integrè satisfecisse, et in illis se condemnari vidisse, et quascumque sententias etiam declaratorias, Decreta, seu mandata in præmissis necessaria, et opportuna, aliaque de iure quomodolibet requisita fieri ferri, et decerni, et relaxari vidisse, et audiuisse ad fauorem præfatorum RR. FF. instantium deducentium in præmissis omne ius, omneque remedium prædicto, et omni alio meliori modo, sibique ius,, et iustitiam ministrari petentium, ac nobile officium Iudicis, et beneficium iuris implorantium non solum premisso verum etiam omni alio meliori modo, &c. Et insuper Inhibeatis eisdem, prout Nos tenore præsentium inhibemus, et inhibendo expresse præcipimus, et mandamus ne visis, et receptis præsentibus sub pęnis, et censuris antedictis audeant, seu præsumant, aut aliquis ipsorum audeat, seu præsumat quidquam contra formam præinsertorum Decretorum innouare, seu attentare, aut innouari facere sub quouis prætextu, causa, ingenio, vel quæsito colore, quod si secus factum fuerit id totum reuocare, et in pristinum statum reducere curabimus iustitia mediante ALIOQVIN prædictos sic monitos si in præmissis se fore grauatos senserint modo, et forma præmissis peremptoriè citetis, et citari curetis prout nos, etiam citamus eosdem quatenus decimaquinta die post præsentium exequutionem si dies ipsa iuridica fuerit, alioquin prima die iuridica ex tunc proxima immediatè sequente compareant Romæ in iudicio legitimè coram nobis, vel nostro in Ciuilibus causis R.P.D. Locumtenente infrascripto causam eorum grauaminis allegaturi, aliaque dicturi, et facturi, prout iustitia suadebit, et ordo dictauerit rationis. Certificantes eosdem sic monitos, et citatos, quod siuè in dicto citationis termino comparuerint siue non. Nos nihilominus, vel Locumtenens noster præfatus ad præmissa, et alia grauiora iuris, et facti remedia procede-

cedemus iustitia mediante, eorumdem citatorum contumacia, vel absentia in aliquo non obstan. Absolutionem vero omnium, et singulorum præmissorum, nobis, vel Superiori nostro tantummodo reseruamus. IN QVORVM fidem, &c. Datum Romæ ex Aedibus nostris Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo Indictione octaua, die vero sexta mensis Iunij Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, et D.N.D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius XVII.

Cæsar Argelus Lñs.

Locus † Sigilli.

Antonius Raynaldus Cur. Caus. Cam. Apost. Not.



Con-

Confirmatio concessionum Domorum Regularium de Obseruantia Fratribus Reformatis S.Francisci quomodolibet factarum.

VRBANVS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX iniuncti Nobis Apostolici muneris debito Christifidelium sub suaui Religionis iugo, & Strictioris Obseruantiæ Regulis Altissimo famulantium votis, per quæ eorum quieti opportunè consulitur libenter annuimus, ac desuper eiusdem muneris partes propensis studijs interponimus, vt ijdem Christifideles sublata omni perturbationum materia in pacis amœnitate, ac Iustitia, & Sanctitate coram Deo fœlicioribus in dies proficiant incrementis; Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Ascanius de Assisio Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S.Francisci Reformatorum nuncup. Nonnullæ Domus Regulares, quas Fratres Minores de Obseruantia nuncupati Ordinis prædicti possidebant dictis Fratribus Reformatis Apostolica Auctoritate, vel à Superioribus Ordinis huiusmodi, aut aliàs alio modo assignatæ, & concessæ fuerint, vt autem litibus, & concontrouersijs, quæ propterea fortassis excitari possent via præcludatur, Idem Procurator assignationes, & concessiones prædictas auctoritate nostra Apostolica comprobari, & aliàs desuper vt infra prouideri summopere desideret; Nos eiusdem Ascanij Procuratoris votis huiusmodi benignè annuere volen, Illumque à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatis existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes,

& ab-

& absolutum fore censentes. Supplicationibus ipsius Ascanij Procuratoris nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Assignationes, & concessiones Domorum Regularium prædictarum dictis Fratribus Reformatis Apostolica auctoritate, vel à Superioribus Ordinis huiusmodi, vel aliàs quomodolibet factas, vt præfertur, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis perpetuæ firmitatis Apostolicæ robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tàm iuris quam facti defectus, si qui quomodolibet interuenerint in eisdem supplemus; Mandantes propterea quibusuis d. Ordinis Superioribus, & Fratribus quomodocunq; nuncupatis, & qualificatis in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ eo ipso incurreñ, alijsque arbitrij nostri pœnis, ne super assignationibus, & concessionibus prædictis litem, seu lites contra Reformatos huiusmodi mouere, seu intentare, vel illas in ius vocare, aut alias quomodolibet eis desuper molestiam exhibere audeant, seu præsumant, & nihilominus ex nunc irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstañ Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, & Iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Domibus Regularibus, Superioribus, Conuentibus, & Fratribus, & quibusuis alijs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cœterisq; contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Maij M.DC.XXXIX. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.



M.A.Maraldus.

Im-

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. P. Magist. Sac. Pal. Apost.

M. A. Episc. Hierapolyt. Vicesg.

Imprimatur,
Fr. Donatus Carnesechius Magist. & Socius Reuerendissimi P. Magist. Sac. Pal. Apost. Ord. Præd.



R O M AE,
Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ. M.DC.LIX.

Superiorum permissu.